REFVTATIO

RESPONSIONIS GVLIELMI-ADOLPHI SCRIBONII, SVPERSTITIOSAM SAGARVM PVRGATIONEM per aquam frigidam pertinacissimè defendentis;

Ab

IGNOTO PATRONO VERITATIS stylo Scriboniano conscripta.

Accessêre in fine Pontificum ex Iure Canonico, & quorundam Iurisconsultorum, aliorumq; doctorum virorum super hac purgatione iudicia.

Ex pelui inane fulgur excitet licet,
Non veritatem argutus opprimet tamen
SCRIBONIVS, quin opprimetur, dum premit.
Fruſtra petitur falsi sagittis veritas.



HERBORNÆ. 1591.

IGNOTVS PATRONVS VERITATIS, ET VERITATIS

& suo amico, Georgio Gleidtsmanno, S.

ACcipe, mi Gleidtsmanne, refutationem Responsionis Scriboniane de examine sagarum per aquam frigidam, quam seriùs quàm debui, mitto: non quòd in se refutatu fuerit difficilis, sed quòd ei rei vacare graviores curæ mihi non permiserint. Veritatis in præsenti causa patrocinium suscepi. Huic milito, huic operam do, huic loquor, huic scribo. hæc telis necessariis aduersus perduellem Scribonium, & linguam & calamum meum armat. Qui, si sapit, tam potenti dominæ adeoq; inuictæ, imbellis ipse armisq; idoneis destitutus bellum inferre in posterum desinat.

Subtrahere me ab hoc scribendi labore constitueram, quòd scirem veritati in seipsa satis esse virium; tum etiam, quòd iam antè meis verbis esset defensa: Sed quoniam aduersus seditiosum & rebellem Philosophum calami mei officium

officium denuò requirit, officium tam honestum honestissimæ dominæ honesté denegare non potui. Accessit hortatus tuus, quem non minoris, quàm teipsum feci. Lege igitur hanc Scribonij refutationem, & victrici veritati applaude.

Ex castris Veritatis, quæ sunt Herbornæ. Pridie Idus Febr. anno 91.

PROLOGVS.

NVnc magno meo malo experior, quòd contra Scribonium ſcribere, ſit AEthiopes dealbare, crabrones irritare, Lindios ſacerdotes ad conuicia prouocare. Admonueram hominem de profligandis pertinacię, contentionis & virulentię morbis. Quid profeci? Nihil minus quàm quod volui. AEquè pertinax eſt, æquè contentioſus, æquè virulentus. Odium & dicteria pro ſtudio ac beneuolentia infelix admonitor aſportaui. O ſecula! ô mores!

Conabar etiam hominem in examine ſagarum per aquam frigidam à ſemita veritatis multis paraſangis declinantem in viam regiam reducere. Profeci aliquid. Errores videt & agnoſcit: fateri tamen erubeſcit.

Ergo quæ ſine tropo enunciarat, ea tropico palliat ſenſu, ne erraſſe videatur. Mala fide mea argumenta recitat, quò diſſoluat faciliùs. Vt habeat, in quo loquentiam ſuam exerceat, pro meis verbis ſua ſubſtituit. Ridiculas argumentandi formas mihi affingit, vt aliis deridendum me propinet. Coniungenda diuellit; bene-dicta malitiosè interpretando corrumpit; & nihil eorum, quæ impudentem Sophiſtam decent, inter-

intermittit, vt ipse rectè, ego verò perperam sensisse videar. Parum interim ponderat, non de lana caprina, aut asini vmbra controversiam inter nos esse, sed de re gravi, & cum multorum extremo cùm animæ tum corporis discrimine coniuncta.

Vera esse quæ dico, facilimè videbit, quisquis animo præiudiciis affectibusque vacuo Scribonianam responsionem cum meo Examine contulerit.

CAPVT I.

Diluuntur quædam Scribonii calumniæ.

APprobas illa, Scriboni, quæ examinis mei capite primo de usurpanda in refellendis aliorum dogmatibus, modestia ac lenitate præcepi. Sed quereris, me contra proprias leges peccavisse. Fateor. Asperioribus enim verbis, quàm me decuit, tecum egi; non quàm tua erga alios promerita est inhumanitas: atque, ut cum Terentio loquar, *vt maximè tu dignus iniuria illa, ego indignus tamen, qui facerem.*

Id verò falsò mihi ascribis, quòd mortuorum errores non censeam refutandos. Vbinam ego hoc scripsi? Mortuorum erro-

res modeſtè refutentur. Perſonæ interim nec ore, nec calamo, nec alia quacunq; ratione odiosè perſtringantur. Neque quicquam contradixero aut culpauero.

Reſp. pag. 1. Verùm ecce capra contra ſeipſam cornua. Quadruplatorem me vocas. Non video; quare? An nõ olim quadruplator erat delator publicorum criminum, cui quarta pars bonorum, quæ poſſidebant delati, prę-

Spigelius & Schardius in Lexicis Iuris. mii loco cedebat? Teſtes ſunt Aſcon. Pædian. in divin. Hotomanus in comment. verb. iuris. Aſt quid iſta ad me? Num quem ego detuli? Num quartam delati bonorum partem aut captaui, aut accepi? Aut ſi ideo quadruplator ſum dicendus, quòd epiſtolam tuam & tuæ abſurdiſſimæ Phyſiologiæ partem examinaui, an nõ imprudens publici criminis temetipſum agis reũ? Niſi enim id eſſet, haud intelligo, quo iure quadruplatorem me vocare potueris.

Reſp. pag. 1. Mitto, quòd pro quarta bonorum parte tu dimidiam poſuiſti. Num quarta pars & dimidia idem ſunt? Et addis, *Veterum more*. O gnarum antiquitatis virum! ipſa vox quadruplatoris, niſi planè ſtupidus eſſes, de quarta parte te commonefacere potuiſſet.

Noli autem tibi perſuadere, me dimidiam, ne-

am, nedum quartam partem bonorum tuorum nunc quidem desiderare. Sed si tua crumena tam abundaret auro, quàm tua scripta scommatibus, ipso Crœso, ipso Mida ditior esses: & fortassis auri tui, si avarus essem, aliquã in me cupiditatem excitares.

Editione Examinis mei, *me immortalitatem quæsiuisse* ais. Id nihil est. Cui enim persuadebis, illum gloriam affectare, qui latere & ignotus esse cupit? Iniquè etiam me cum ignauo & scelerato illo homine, qui immortalitatis studio templum Ephesium incendit, comparas. Ille nomen suum ad posteros transmittere sategit. Ego contrà meum celare studui. Id fateris ipse, dum me *Scotophilum*, hoc est, amantem tenebrarum vocas. Ipse igitur, ut soles, hîc quoque tibi contradicis.

Resp. pag. 8

Resp. pag. 2.

Tu vide, ne potius cum illo comparandus sis. Vt enim ille templum Dianæ Ephesiæ incendit: ita te, dum periculosam & dubiam sagarum explorationem totis viribus tueris, credibile est, multa Dei templa, innocentes dico fœminas, ad rogum ablegare. Resipisce igitur, & superstitiosi examinis superstitiosum patrocinium abiice, ne & tu rogo inextinguibili aliquando ardeas.

Meliùs, crede mihi, tecum agetur, ſi gloriolæ tuæ aliquantulum, ſaluo proximo, decedere patiare, quàm ſi cũ innocentis proximi interitu tu celebris & glorioſus evadas.

Notanda venit hîc tua in hiſtoriis ſingularis peritia par illi, quam in antiquitatibus tibi comparaſti. *Dionyſium*, ais, *templum Epheſium incendiſſe*. Erras. Si viueret Dionyſius, pro iſta calumnia dicam tibi impingeret grandem, quòd alieni facinoris ipſum inſontem temerè inſimulaſti. Ignoſcant tibi Dionyſii manes. Heroſtratum templo Epheſio flammam inieciſſe, teſtis eſt Strabo lib. 14. Geogr. & Solinus in Polyhiſt. c. 43. A Theopompo etiam nominari auctor eſt Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. Cæteri antiqui hiſtorici, quos mihi quidem videre contigit, nomen hominis memoria indigniſſimi ſilentio præterierunt, quemadmodum Epheſii edicto cauerant. Conſule Aul. Gellium lib. 2. Noct. Attic. cap. 6. Item Valer. Maximum lib. 8. cap. 15. Hæc quoniam hactenus ignoraſti, me docente nunc diſcis, pro quo officio gratiam mihi debes.

Reſp. pag. 2.

Velim autem æquum lectorem in initium reſponſionis Scribonianæ oculos diligenter

genter intendere. Nam si verum est, quod perhibent, *mali principij malus finis*, ex hoc Scribonianæ responsionis pessimo, id est, ignorantiæ, confidentiæ, impudentiæque pleniſſimo principio tenorem cæterorum promptiſſimum est cognoscere.

CAPVT II.

Aliæ quædam calumniæ diluuntur.

INdignaris, quòd errorem vocaui tuam περὶ ὑδροδοκιμασίας sagarum eiusque causis opinionem. Negas te erroris à me convictum. Ego contrà conuictum te asserо, & quidem tam firmis rationibus, vt ne labefactari quidem cauillis tuis, multò minùs euerti potuerint. Aliorum sit iudicium. Resp. pag 3. & 7.

Neq; verò, vt tu simulas, quòd in reddendis supernatationis illius causis, turpiſſimè es hallucinatus, idcirco te in mortuos debacchatũ esse dixi, sed quòd mortuo Evvichio Physiologiam tuam conuiciis in doctiſſimum illum virum iactis pleniſſimam conscripsiſti, aut saltem in lucem emiſiſti. Resp. pag. 7.

Facilè credo te magni illius operis fundamenta viuo Evvichio iecisse, atque illa Schonero Rectori Corbachiano longè an- Resp. p. 10.

te editionem ostendisse. Diu enim vterum ferre & parturire soles, donec muscam nobis pro elephanto parias. Id verò certò mihi constat, cùm in lucem ineptus ille tuus liber dignior tenebris prodiret, fato functum fuisse Evvichium. Eundem Iohan. Treutl. quem tu, ego quoque testem cito. Is sanè cùm ista tum meditarer, haud longè à me abfuit.

Resp. pag. 9. Quid verò sibi vult, quòd scribis? *Scribonius propugnat errores Aristotelis, Galeni, &c. Ergo in mortuos petulanter debacchatur, & mortuos denuò necat.* Fortè dicere voluisti *oppugnat*. Quanta isthæc est oscitantia? Quanta neglectæ Latinitatis iniuria? Nihil ego tale tibi obiicio. Acciſſas & tecum ista garris. Quid voluerim intellexisti, licet studiosè dissimules. Admodum familiarem tibi video fallaciam non causæ vt causæ; quam & in eo, quod sequitur, committis.

Resp. pag. 8. Vbi enim ego sic ratiocinor? *Scribonius in Oleuiani & Piscatoris Dialecticas commentationes, qui ne verbo quidem ipsum læserant, illiberalissimè calamum strinxit. Ergo mortuos enecauit.* Tua est ista ratiocinatio, non mea. Miror autem quòd in re manifesta tam palpabiles nugas, ne quid gravius

gravius dicam, comminiſci audeas. Quo animo facias, promptum eſt videre. Nimirum ut habeas, quod refellere poſſis. Nam mei ſyllogiſmi aduerſus te inuicti ſunt.

Enumeraueram Examinis mei cap. primo vitia quædam, quæ ab huius ætatis ſcriptoribus vulgò ſed illiberaliter committuntur. Eorum nullum à te dixi alienum, atque id exemplis declaraui: quò & iſta duo pertinent. Remitto te ad examinis mei paragraphum: *verum enimuerò, &c.* Ibi quid voluerim reperies.

Læſiſſe, ais, Oleuianum & Piſcatorem veritatem Logicam. Adhuc ſub iudice lis eſt. Diem ſuum obiit ille: hic indignas tuas Ichthyagogias iudicat quas expiſcetur, cùm tempus melioribus ſtudiis tribuere queat. Reſp. pag. 8.

CAPVT III.

De modo explorandi ſagas per aquam frigidam.

CApite tertio deſcribitur ex tua epiſtola & Phyſiologia modus ſagas per aquam frigidam explorandi, qualem nunc in Weſtphaliæ quibuſdam locis obſeruari ſcribis. Vbi nihil eſt controverſum,

CAPVT IIII.

Quòd purgatio ſagarum per aquam frigidam ſuperſtitioſa & diabolica ſit.

Exam. ca. 4.

PRobationem ſagarum per aquam frigidam ſuperſtitioſam ac diabolo autore excogitatam eſſe, primùm huiuſmodi ſyllogiſmo oſtendo:

Quæcunq; actio ſacris literis non præcipitur: nec cùm naturalis ſit (vt vſus magnetis) caſu eſt reperta: nec per manifeſtas cauſas humano iudicio introducta: ea ſuperſtitioſum diaboli eſt commentum.

Atqui illa ſagarum probatio nec ſacris literis præcipitur; nec caſu eſt reperta, nec per manifeſtas cauſas humano iudicio introducta.

Superſtitioſum igitur eſt diaboli commentum.

Reſp. p. 13. & 14.

Propoſitionis omnia membra in Examine meo confirmantur. Quid contra hæc Scribonius? Malitiosè propoſitionem lacerat fallaciam diuiſionis committens, idq; vt habeat prolixè in me debacchandi (illud volui dicere, declamandi) occaſionem. Perinde ac ſi ego dixiſſem: Omne quod ſacris

cris literis non eſt mandatum, pro ſuperſtitioſo habendum eſſe. Quod egomet quoq; falſiſſimum iudico. Addat autem reliqua duo membra, & plenam ac veram effecerit propoſitionem. Annon ἐν ἀναχεφαλαιώσει iſtius argumenti hæc mea verba leguntur? *Si hæc ſagarum per aquam frigidam δοκιμασία Deum auctorem non habet: Si nec caſu quodam, nec humana ratione inuecta eſt: quid aliud reſtat, quàm id, quod in principio poſui, à ſuperſtitione profectam eſſe?* Quid eſt malitioſè aliena argumenta allegare, ſi hoc non eſt? Sed cur illi malitiam obiicio, quem puto imperitia potius peccaviſſe? quæ tanta eſt in Scribonio, vt ſyllogiſmum in oratione nonnihil occultatum aut inuerſum colligere & iudicare nequeat: quippe non melior Logicus, quàm Grammatici pueri, qui ſyntaxeos præcepta tenentes, prompteque recitantes, barbarè tamen ac depravatè loquuntur. Exam. ca. 4.

In ſacris examen hoc non præcipi, concedis Scriboni. Caſu non eſſe repertum negaui, veriſimile, propter apparatum qui adhibetur. Per apparatum intellexi ceremonias illas friuolas, cuiuſmodi ſunt: quòd nudantur, quòd decuſſatim manibus pedi- Exam. c. 4.

busque vinciuntur, quòd ter in aquam demittuntur, quæ omnia hauddubiè à ſuperſtitione ortum traxerunt. Et vt maximè nullæ huiuſmodi accederent ceremoniæ, haudquaquam tamen credibile, caſu examen hoc repertum eſſe. Nam ſi caſu fœmina aliqua natare viſa eſt; aut iam conſtitit ſagam eſſe, aut non conſtitit. Si conſtitit, cur non natant omnes, de quibus conſtat? Certè non natavit illa quam clariſſimus ICtus Godelmannus fœdus cum diabolo aliaq; qualia ſagæ perpetrare ſolent, iam confeſſam iuſſu nobilis in aquam coniici & ſubmergi vidit. Non natarunt ſex aliæ, æquè reæ, quas nobilis idem poſtea per aquam frigidam probauit. Non natavit illa, quam non combuſtam, ſed in Rheno aquis ſuffocatam narrat Paulus Friſius. Si verò non conſtitit ſagam eſſe, quis quęſo ex illa ſupernatatione concludere potuit, eiuſmodi ſigno prodi & indicari ſagas?

Dic etiam mihi Scriboni, qua de cauſa ſuperſtitioſus ille apparatus fuerit adiectus? Vbi tu parum candidè pro *apparatu* (ne id
Reſp. p. 17. præteream) ponis *ornatu*, in eoque falsè & amarulenter me derides: quaſi verò æquè latè pateant idemque ſignificent *ornatus* & *apparatus*.

In

In voce *casus* nescio quid desideres? Exempla eorum quæ casu sunt inuenta, in arte medendi passim sunt obuia. Quis quæso physicarum causarum ductu vires magnetis cognouit? Vnum ecce pro multis.

Quòd si etiam per physicas causas ab hominibus introducta est ὑδροδοκιμασία, quin id probas? Aut si nequis, saltem rei à te visæ physicas rationes nobis exponis?

Quod equidem tibi difficile esse non deberet, qui physicam ipsis etiam Britannis notam compilasti.

Alterum argumentum, quo superstitionis probationem illam argui, duxeram à superstitiosis ritibus, qui adhibentur, per quos quid intellexerim, paulò antè dixi.

Quin etiam ipsimet Pontifices, quos tu procul dubio superstitiosissimos censes, *huiusmodi probandi modos tanquam fabricante inuidia fictos, superstitiosè adinuentos, & peregrinos non admittunt, nec sufficere putant, imo auctoritate sua prohibent firmissimè.* In Iure Canonico. Multò minùs igitur illius purgationis patrocinium te decuit, qui puriorem religionem profiteris.

Et Damhouderius in Enchiridio rer. crim. *Purgationem per aquam frigidam*, simi-

lesque affirmat, *nihil habere humanitatis, sed tyrannico animo diabolicoq; instinctu inuentas & excogitatas, ad diuinæ potentiæ tentamenta vergere*. Consule etiam Venatorem in analysi Iuris Pontificii.

Quid item? quòd per aquam frigidam olim alii quoque facinorosi, non solùm sagæ, vt tu putas, purgabantur? Nam *presbyterum quendam, cùm infamaretur de homicidio, innocentiam suam indicio aquæ frigidæ purgauisse, legimus lib. 5. decret. tit. 34. de purgatione canonica. cap. 8.* Sed purgatio illa ibi reprobatur. Cur igitur à te ad solas sagas restringitur? vbi nunc sagæ à diabolo obsessæ? vbi leuitas diabolica sagarum corpora leuiora reddens? vbi odium aquæ ex baptismi contemptu natum? Certè communia hæc cum cæteris facinorosis habebunt, quos tu tamen nec obsideri, nec à diabolo obsidente leuiores reddi, nec aquæ odio supernatare concedes.

Phys. p. 118. Resp. p. 19. & 33.

Quòd *Diabolum ais sagas in aquæ superficie retinere*, credo. Sed inde infero, fallacissimam esse hanc probationem, quia Diabolus est fallacissimus: qui tum etiam, cùm vera dicit, fallere studet. Haudquaquam inficior, quandoque natare sontes, sed

sed solas sontes & semper natare nego atq; pernego. Omnia hęc fiunt, vt magistratum Diabolus ludificet, reas aliquando liberet, innocuas cruciatibus & morti subiiciat. Sunt qui putent talia Deum non permittere. Quasi verò nemo innocens iudicum sententiâ vnquam capitali supplicio sit affectus. Legantur martyrum historiæ.

Et quia vel vnum exemplum experientiæ tuæ contrarium tibi dari postulas, dabitur, Vilhelme, quod optas. Annon superiore anno in patria tua fœmina quædam veneficii ac fœderis cum Diabolo suspecta, cùm vltrò ad ὑσποδοκιμασίαν prouocasset, natasset que, nec scelus postea confessa est, nec iudicum prudentissimorum sentẽtiâ condemnata, sed absoluta & dimissa est? Valeant igitur illa tua verba in epistola: *Experientia testis est, omnes illas, quæ non submersæ fuerunt, deinceps spontanea confessione se reas aut nocentes esse significasse.* Pag. 62. Valeant illa in præfatione Responsionis: *Videmus certam huius & minimè in vllis exemplis inconstantem experientiam: vt ne vna quidem inter tam multas sagas in examine suo aquis supernatantes reperta fuerit, quæ deinceps vel spontanea vel coacta seu ciuili quæstione examina-*

ta, non protinus etiam testata sit, se plerorumq́, quorum argueretur, ream esse. Denique valeant illa, quæ responsionis tuæ capite postremo posuisti. *Si vnum* (inquis) *exemplum protulisses, vbi rea veneficij, aquis quæ innatasset, sit liberata, vel ex iis quæ ita natassent, innocens carnifici tradita sit: tum incertam reddere purgationem earum facilius potuisses.*

Desine iam, Scriboni, postulando obtundere, tulisti quantum voluisti, imò plus, si addideris Godelmanni & Pauli Frisii exempla.

Quòd experientiam allegas, ridiculum est. Eandem etiam allegant incantatores & incantatrices. Bonis dicunt se verbis vti, eaque semper iuuare. Num verò euentus ideo, quia ipsi affirmant, semper respondet? Num idcirco incantamenta licita sunt? Num Deo placent? Num superstitione carent? Sed de his satis.

Nunc examinemus ea, quæ sequuntur.

Resp. p. 20. *Vult Deus* (inquis) *vt manifestentur & puniantur sagæ.* De omnibus certè id dici non potest. Num omnes tu putas manifestari? Falleris. In hoc mundo quædam manifestantur: quædam nec manifestatæ nec punitæ diem suum obeunt. Sed illas, nisi resipiscant,

piſcant, gravior manet pœna, quàm temporaria illa, quæ à magiſtratu infligitur.

Et addis: *Satan hoc ipſo plurimum lætatur.* Reſp. p. 20. Ecquis hoc in totum probet? Etenim quæ manifeſtatæ in manus magiſtratus incidunt, verbo Dei erudiuntur, & à diabolica ſeruitute liberatæ ad Deum ut plurimum reducuntur, priuſquam morte mulctentur. Num tu id putas diabolo placere? qui certè animarum exitium æternum ſtudioſiùs quærit, quàm temporarios illos ſagarum cruciatus.

Eiuſdem ſententiæ & tu fuiſti in Phyſiologia tua. Nam pag. 20. interrogas, quamobrem diabolus ſagas non tam grauiter quàm alios obſeſſos diſcruciet? Et reſpondes: *Non quidem quòd illis benè conſultum velit, aut benefaciat: ſed minùs illas affligit & diſcruciat in præſenti vita, vt eò commodiùs & diutiùs in reti ſuo retinere, ac tandem poſt obitum quaſq; ſuum æternis cruciatibus afflictionibusq; ſubijcere queat.* Horúmne oblitus eras, cùm præſentem reſponſionem adornares? O labilem Scribonii memoriam!

Quid? quòd exemplis & pœnarum metu aliæ à ſocietate cum Diabolo ineunda abſterrentur, quam pro flagitioſa & illicita

alioquin non haberent. Vt regnum Diaboli hac ratione non possit non minui, qua jactura superbissimum illum spiritum contristari potiùs, quàm lætari vero consentaneum est. Præterea vt maximè Deus per hanc ὑδροδοκιμασίαν sagas indicari ac prodi vellet, quid opus ad eam rem habet Diabolo? Nónne etiam citra Diaboli ministerium efficere potest, vt sagæ in aqua natent? Asseris hoc ipsemet, dum in Physiologia & Respõsionis tuę c. XI. supernatationis causam in aqua quæris. Ideo enim eas mergi posse illic negas, quòd à Deo ad Diabolum deficiendo, baptismum, qui aquâ perficitur, irritum fecerint. Nimirum aquam sagas ob illam iniuriam Vatiniano odio prosequi affirmas, ideoq; intra se recipere nolle, vt si maximè velint mergi, tamen nequeant. Vbi hîc lictor Diabolus sagas magistratui manifestans? Et quomodo illa cum his conueniunt? Illic extra aquam in Diabolo, hîc in ipsa aqua caussam supernationis constituis. In mari incertitudinis iactaris & fluctuas miser; quocunq; te vertas, naufragium facturus. Vt emergas, non Logicis, sed Sophisticis remis & velis tibi opus est. Vera .n. Logica in hac tempestate vteris adversissima. Ve-

physiol. pag. 120.

Veruntamen si nobis probaueris, Deo probationem illam sagarum probari; deinde eam ad rem Diaboli ministerio vti: nos quoque probationis illius vsum deinceps sumus approbaturi: sin minus; constantissimè improbaturi.

CAPVT V.

Supernatationis sagarum causæ inuestigantur. Vrgetur contradictio, sagas Scribonio homines esse, & non esse.

DVm Scribonius physicas causas supernatationis sagarum inuestigat, miserrimè se cruciat atque torquet, & tandem dari posse concludit, si non certas, probabiles tamen.

In quibus afferendis admodum est inconstans. Primùm enim ait, *Causam in leuitate quærendam esse: Leuia enim ferri sursum, grauia deorsum; vnde fiat, vt vel maximum lignum propter raritatem essentiæ, quam leuitas consequatur (omnia enim rariora esse etiam leuiora) aquis supernatet, lapis autem siue plumbi portio vel minima ad fundum feratur.* In epistola pag. 58.

Ex hoc igitur Physicorum fundamento propositæ quæstionis sententia illi deducenda &

concludenda videtur: quare videlicet sagæ potius, quàm aliæ mulieres super aquis ferantur, nec subsidant. Obijcientibus eandem esse materiam & formam corporis sagarum, quæ sit aliarum fœminarum: easdemq; qualitates à primis ortas, quoad leuitatem & grauitatem: siq; sagis leuitas quædam asscribenda sit, non minorem quoque aliarum mulierum concedendam esse: respondet aliud principium ad quæstionem illam constabiliendam esse assumendum: Nimirum istud, veneficas prioris suæ formæ statum eo ipso tempore protinus amisisse, quo necessitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, nec amplius esse tales homines, quantum ad formam interiorem, quales antè fuerunt: adeoq; nouam prorsus formam assumere. Definit itaque *sagas homines, essentiam Diaboli, à quo obsidentur, participantes.* Aitque, *Diabolum corda sagarum & partes reliquas ita occupauisse, vt totus per totam illarum essentiam, essentiæq; partes singulas substantialiter sit diffusus: imò vt tantisper, dum pœnitentiam veram haud egerint, & omnino resipuerint, non possit ab vlla corporis illarum parte abesse. Semper itaq; Diabolum secum gestare, quocunq; moueantur.* Paulò pòst subiicit: *Quæ cùm ita habeant, nemo vtiq; dubitauerit,*

tauerit, quin & totius corporis ipſarum facultates & potentiæ prorſus immutatæ ſint, ac priſtina earum forma perierit. Mali autem genij natura planè ſpiritualis eſt, ætheria, ſiue etiam, ſi placet, aëria, leuiſsima, in omnem locum ſublunarem celerrimè permeabilis. Quapropter putauerim, ipſum in ſagarum corporibus reſidentem, ſua eſſentia ſpirituali atq; volatili ſiue leuiſsima, longiſsimè etiam leuiora illa reddere, quamuis hoc ab alijs non deprehendatur: vel potiùs ita attrahere ſpiritu ſuo ipſis eſſentialiter infuſo ac inhærente, vt per eius leuitatem ſuſtentatæ, nolentes volentes ſub aquas ferri non poſsint. Quæ huc uſque recitavi, habentur in epiſtola, & eodem omnino ſenſu penè iiſdem verbis in Phyſiologia repetuntur. Quò lectorem, ne ſim longior, remitto. Hæc tantò diligentiùs recitaui, quantò mutabilior eſt Vertumnus ille, cum quo mihi lis & certamen eſt.

Pag. 114. & ſequentibus.

Apparet ex iam dictis, ſecundùm Scribonium ſagarũ corpora ſuâ naturâ nihilo eſſe grauiora aliarũ fœminarũ corporibus: ſed leuiora reddi à diabolo (qui leuis ſit) p ipſorũ corpora diffuſo, ob eãq; causã mergi nõ poſſe: vel id corpora ſagarũ priſtinam grauitatẽ retineant, ea tamen leuitate diabolica

ſuſtentari, ne mergantur. Atque hactenus in leuitate duplicem cauſam ſupernatationis poſuit Scribonius.

Phyſiol pag. 119. Accedit tertia his eius verbis comprehenſa: *Quid porrò ſi illis omiſsis dicerem, Deum ipſum ſagarum, quas ſcilicet verè reas eſſe nouit, corpora ſingulari quadam & ſpecifica leuitate induere, qua in ſuperficie aquarum ferãtur?* Quid porro, Scriboni, ſi ego quod tu dicis negarem? Num te Pythagoram cenſes, cuius autoritas apud diſcipulos pro ratione ſtabat? Niſi probaueris, nihil tibi credimus. In Pythagorę ludo edocti non ſumus.

Poſtea à iam commemoratis cauſis turpiter diſcedens aliud commentum adfers: tale ſcilicet: Quòd aqua ſagas oderit, ideoq; ita aduerſetur, vt mergi eas non patiatur. De quo cap. XI. Cui verò ex hiſce quatuor rationibus pondus ineſſe vis, Scriboni? Stare ſimul omnes nequeunt. Imò ne ſingulæ quidem. Quod nobis ſermonis progreſſu erit demonſtrandum. A definitione autem ſagarum abs te tradita initium faciemus.

Definis ſagas *homines eſſentiam Diaboli, à quo obſidentur, participantes.* Multa in hac definitione poſſunt deſiderari. Primùm enim homines appellas (& ſunt ſanè homines)

mines) ſed pugnat hæc tua aſſertio cum aliis tuis verbis. Ais enim, *Sagas formæ prioris ſtatum amiſiſſe*; ais, *priſtinam earũ formam periiſſe*; *negas eſſe tales homines, quoad formã interiorem, quales antè fuerunt. Forma aũt interior eſſentialis illa eſt*, teipſo in Triumpho Logico teſte; *qua poſita, ponitur formatum: ſublata, tollitur formatum.* Ex quibus irrefragabiliter ſequitur, ſagas tibi amplius homines non eſſe. Syllogiſmus talis eſt: In epiſtola.

Quiſquis hominis interiorem, hoc eſt, eſſentialem formam amiſit, homo amplius non eſt.

Sagæ, ſecundum Scribonium, eſſentialem hominis formam amiſerunt.

Ergo ſagæ, ſecundum Scribonium, homines amplius non ſunt.

Confirmationem vtriuſque præmiſſæ præmiſiſſe ſufficiat. Heus, Scriboni, nónne hæc contradictio eſt: *ſagæ ſunt homines: ſagæ non ſunt homines?* De eodem enim affirmas & negas. Confugis in Reſponſione ad comparationis, in Phyſiologia ad metonymiæ laruam. Inepté. Nam ea ratione eó redigeris, vt nolens volens cõcedas eſſe homines, quorum eſſentialis forma perierit. Quo quid abſurdius dici poteſt, & tuo Triumpho Reſp. p. 21. Phyſiol. p. 13.

magis contrarium? Nunquam quiſquam ſaniorum Philoſophorum hominis nomine dignatus eſt eum, qui hominis forma eſſentiali careret. Exteriorem ſpeciem ſive formam quin ſagæ retineant, controuerſum non eſt. Si qua igitur periit, periiſſe oportet interiorem, eſſentialem illam, cùm omnis forma vel ſit interior & eſſentialis, vel exterior & accidentalis. Vnde etiam aliud ſequitur ſecundum te, ſagas carere anima rationali. Hanc enim pro forma hominis eſſentiali agnoſcis. Quod non minùs impium, quàm abſurdum.

Concludo igitur, rectè hoc loco contradictionem ab Evvichio tibi obiectam; quam ideo tamen aliqua venia dignam iudico, quòd errorem in fine capitis inexpectata clauſula confiteris. *Quid referret*, inquis, *ſi quod in priori aliquo ſcripto meo forſan delictum fuiſſet, in poſterioribus deinde emendaretur? Melius eſt errorem corrigere, quàm in eo perſeuerare.* Si *forſan* illud ex confeſſione ſuſtuliſſes, pleniorem abſolutionem conſecutus eſſes.

Reſp. p. 22.

CAPVT

CAPVT VI.

Quòd ſagæ à Diabolo non obſideantur.

IN definitione ſagarum ais ſagas à Diabolo obſideri. Quod ideo tibi affirmandum fuit, vt incautis faciliùs perſuaderes, ob inhabitantem leuem illum ſpiritum (leuis enim abs te putatur) ſagarum corpora fieri leuiora, ideoque à ſubmerſione eſſe aliena; proceſſu videlicet tali. Non merguntur ſagæ: Sunt igitur leuia ipſarum corpora. Atqui non ſua natura talia ſunt & in ſe. Ergo aliunde. Vnde autem, niſi à Diabolo, qui ſecundum te levis eſt? Diabolum igitur oportet in ſagarum corporibus ineſſe, eaque obſidere. Meras audio principii petitiones, æquè incertas atq; id, quod probari debebat. Nunquam enim mihi perſuadebis, ſagarum corpora aliarum fœminarum corporibus eſſe leuiora. Nunquam obtinebis vt credam, diabolis leuitatem propriè intellectam competere. Qua de re poſtea. Quinam obſideri dicantur, ex ſacris literis expoſui, nimirum illi, quorum corpora Diabolus occupauit: cuius rei exempla paſſim apud Euangeliſtas occurrunt. Quò pertinet, quòd Chriſtus Diabolos ex

obſeſſis eiecit, atque ne denuò ingrederentur, prohibuit. Num verò hac ratione ſagæ obſidentur? Nequaquam. Nemo id te confidentiùs affirmauit. Nemo confirmauit minùs. Homines obſideri ex Euangeliſtarum hiſtoriis ipſemet in Phyſiologia commemoras, quod & nos largimur. Sed inde non efficitur, ſagas obſideri. Quænam enim iſthæc eſt argumentandi forma?

Phyſiol. pag. 87. & ſeq.

Homines (teſte ſcriptura) obſidentur.
Sagæ ſunt homines.
Ergo ſagæ obſidentur.

Nonne vitium eſt in propoſitione, quæ vniuerſalis eſſe debebat? Quid aliud ex iſto ſyllogiſmo ſequitur, quàm quaſdam ſagas obſideri? Siquidem concluſio ſemper debiliorem partem, ſive, vt alii loquuntur, deteriorem quantitatem & qualitatem ſequitur. Tu verò omnes obſideri contendis. Cæterùm argumentum hoc ea calliditate tractas, vt in probanda propoſitione prolixiſſimus ſis, quaſi eſſent, qui de ea dubitarent: aut quaſi propoſitione ſatis confirmata, vera protinus ſequatur concluſio.

Sequuntur in Phyſiologia duo argumẽta, quibus aſſertioni de obſeſſis ſagis fidem facere conaris. *Viſæ ſunt ſagæ*, inquis, *admodũ*

ob

ob ſenectam imbecilles, quæ cùm carceribus mancipari deberent, viros etiam robuſtiſſimos præcipites in terram dederunt. Viſa eſt, quæ poſt purgationem in flumine factam, in carrum denuò aſcenderet nuda propemodum, & nulla ſecum vel medicamenta, vel alia, quibus hæc perficeret, habens, ſolo oris ſui afflatu carnificis miniſtrum ita inficeret, vt confeſtim in ipſo itinere, antequam in vrbem ipſe veniret, maximè craſſiſſimeq; intumeſceret, & per dies aliquot continuos deinceps decumbere cogeretur. Quid hæc aliud arguunt? quàm Diabolum verè etiam corpora ſagarum inhabitare, earumq; membra regere? cùm alioquin facta iſta ſagis impoſſibilia ſint. Redige, quæ dicis, in ſyllogiſmos, & propoſitiones inuenies falſiſſimas. Quaſi verò extra ſagas exiſtens Diabolus earum actiones iuuare, quaſi halitum ipſarum peſte aliqua etiam forinſecus inficere nequeat. Probandum eſt priùs, obſideri ſagas, deinde in his tibi largiendis non erimus difficiles. Hem tibi nouam principii petitionem. Narrat Paulus Friſius nouitiam quandam cùm à ſocia ſeductrice tyrocinii edendi gratia currum onuſtum, equis ſtantibus, ſubuertere iuberetur; etiam manu nõ admota ſubuertiſſe. Phyſiol. pag. 19.

Vnde hoc robur accepit? Certè non ſubuertit ipſa, ſed Diabolus: non in ipſa, ſed extra ipſam exiſtens, nimirum amaſius ille, cui, Deo abnegato, paulò antè homagium præſtiterat. Nondum igitur nobis abs te probatum eſt, ſagarum corpora à Diabolo obſideri. Nam animos ipſarum obſideri, quatenus à Diabolo ad quæuis flagitia incitantur, extra controuerſiam eſt.

Nunc videamus argumenta, quibus ego
Exam. p. 24. negaui ſagarum corpora eſſe obſeſſa. *Quos obſidet*, inquam, *eos atrociſſimè cruciat: eorum lingua pro ſuo arbitratu vtitur: quod ſagæ non,*
Reſp. pag. 23. *vt illi, experiuntur*. Tu contrà cruciari quoque & cædi ſagas à Diabolo, affirmas. Concedo. Sed non tam atrociter cruciantur, quàm illi. Imò ne omnes quidem. Nam paucæ, & utplurimum refractariæ, ac dictis eius minùs obedientes eo modo tractantur. Teſtantur hoc ipſarúm met confeſſiones. Ad linguam quod attinet, obſeſſi ſæpe verbis loquuntur alienis ac peregrinis, Græcis, Italicis, Latinis, Hebraicis, aliísve talibus, qualia nunquam didicerunt. Sagæ vernaculis ac notis vtuntur; per obſeſſorum fauces etiam exerta ac immota lingua, quæ vult, loquitur Diabolus. De ſagis nihil tale com-

compertum est. Obiicis: *Iubet eas loqui, quod velit, & alios artem suam docere; item peccata sua constanter negare.* Abutitur igitur sagarum linguis. Concedo: sed non abutitur, vt obsessorum. Resp. p. 23.

Obsessorum voluntas & consensus non accedit; sagarum accedit. Cur iussis eius sagæ gerunt morem? Cur non refragantur? Cur suam voluntatem voluntati Diaboli subiiciunt? Et tu nunc operam nauas Diabolo, quia superstitionem diabolicam defendis. Et volens quidem non inuitus id facis, quantumuis impulsore Diabolo: nesciustamen, vt spero.

Adiectum est à me aliud argumentum, hoc syllogismo comprehensum:

Extra quos Diabolus est, illi à Diabolo non obsidentur. Exam. p. 25.

Extra sagas Diabolus est.

Ergo sagæ à Diabolo non obsidentur.

Syllogismum hunc meum tribus suis partibus integrum & perfectum esse fateris. Resp. p. 24. *Sed ironicôs egregium & peritum Logicum me vocas, qui, quod assumpsi in syllogismo dubium, ne vno quidem argumento demonstrarim.* Peritiam Logicæ singularem mihi non attribuo: contentus quadam mediocritate. Sed

quia peritior me videri vis, optarim sanè te esse talem. Quod si fuisses, assumtionis meę confirmationem haud obscuram non obscurè perspexisses.

Ea autem in his consistit verbis: *Narrant ipsæ* (scilicet sagæ) *quo tempore, quo loco, qua specie ad se venerit, quid fecerit, quando recesserit. Diaboli etiam phantasma semper extrà se vident, quæ vtiq; non invenirent, si substantialiter* (vt tuis phrasibus vtar) *per singulas ipsarum essentiæ partes esset diffusus.* Exam. p. 24. Quæ quia præmiseram, ad rem non pertinere forsan es arbitratus. Quasi verò partes syllogismorum earumque probationes quoad dispositionem, non inverti quandoque soleant. Certè si obsessæ essent, Diabolus hoc vel illo tempore, loco, specie ad ipsas non veniret, non hoc vel illud faceret, saltaret, venena pecuniámve apportaret, congrederetur, feriret, non etiam ab ipsis tandem recederet, neque etiam sagæ semper extra se Diaboli phantasma viderent. Quis igitur credat obsessas esse, hoc est, in suis corporibus Diabolum habere ac circumferre? Verùm ecce nouus mihi à tua subtilitate iniicitur scrupulus. Resp. p. 23. *Potest* (ais) *certè in corporibus sagarum esse, & ipsæ nihilo minùs eius accessum*

ceſſum & deceſſum videre nequeunt. POTEST inquis. Sed illud noſti: *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia.* Neque probas poſſe, neq; probare potes. Ἀσύστατα enim hæc ſunt: *Diabolum eſſe in ſagarum corporibus & nihilominus accedere & recedere.* Quæ tibi concilianda relinquo.

Niſi moleſtum eſt, Eraſtum in libro de Lamiis eadem de re differētem audi: *Quid opus eſt*, inquit, *reſpondere ad ſumptiones apertè falſas, quas prudens nullus ſit probaturus? quasq; ipſa rerum inſpectio euidentiaq; refellit? Equidem obſeſſi crudeliter agitantur, affliguntur miſerabiliter, diſcerpuntur, ſternuntur, præcipitantur, torquentur: quorum omnium nihil patiuntur pleræq; ſtriges.* Et paulò pòſt: *Deinde obſeſſi non conſtant mente, aut ea ſaltem vti non poſſunt paroxyſmorum tempore. Morbis enim excruciantur ita grauibus & acerbis, vt in exacerbationibus mente non videantur conſtare. Contrarium accidit in ſtrigibus, quæ & proſpera valetudine vtuntur, & nullum ſignum oblæſæ mentis oſtendunt. Sed nec peregrino idiomate aliquando inſtar obſeſſorum loquuntur. Quid quòd obſeſſi, cùm interualla dilucida habent, deprecantur cum gemitu & dolore maximo, ſi quod dixerunt aut fe-*

cerunt non rectè, nec consensum præbuisse dæmoni lingua membrisq; eorum ipsis inuitis vtenti: Sagæ tantum abest, vt pœnitere se scelerum ostendant, vt maximè doleant, si, quod facere optabant, perficere non potuerint. Quintò solent iactitare striges mirabilium rerum peritiam, & nescio quam edendi miracula scientiam: quorum obsessi nihil sibi arrogant. Sed nec pacti alicuius contracti cum Diabolo meminere vnquam obsessi: nec delectati aliquando fuerunt Dæmonis præsentia: sed longissimè à se abesse in perpetuum ore & corde petunt. Sagæ contrà amasios suos adesse lætantur, absentes aduocant, tardantes vrgent, aduenientes cum plausu suscipiunt: & interrogatæ pactas se fuisse vno ore omnes confitentur.

Denique vix vllæ sagæ obsessas se fatentur, cùm verè obsessi omnes tempore quietis hanc vnam rem præcipuè doleant, lugeant, deplorent. Hactenus Erastus.

CAPVT VII.

Malè à Scribonio affirmatur, malum genium spiritualis, ætheriæ, aëriæ naturæ esse. Vbi contradictio.

Diaboli naturam in epistola tua sic describis: *Mali genij natura planè spiritualis est, ætheria, siue etiam, si placet, aëria, leuissi-*

Pag. 60.

uiſsima in omnem locum ſublunarem celerrimè permeabilis. Ex his ego inſignem collegi antilogiam, quæ talis eſt: Diabolum tibi ſpiritum eſſe, & non eſſe; corporeum eſſe, & non eſſe: Dum enim Diabolum naturæ ſpiritualis eſſe dicis, ſpiritum eſſe fateris: dum ætheriam & aëriam naturam illi attribuis, corporeum ſtatuis. Siquidem æther & aër naturæ ſunt corporeæ, & inter eas in tuis Phyſicis referuntur. Hæc tu ita conciliare conaris: *Nullum*, ais, *impedimentum eſt, quo minùs etiam ſpiritus comparatè, corporatis naturis, quarum videlicet ſubſtantia, modus, actiones faciliùs in ſenſus noſtros incurrunt, ſimiles dici poſsint, ſi operationes illarum, aliasq; proprietates ſignificare velimus. Nullum corpus eis attribuo: ſed dico eos leuiſsimo tenuiſsimoq; aëris corpori eſſe ſimiles, quòd aëris inſtar celerrimè facilimèq;, quo velint, moueri ferriq; poſsint, ad declarandam pleniùs inuiſibilem & palpabilem alioqui eorum ſubſtantiam.* Hactenus tua verba. Vtrumque & quid volueris, & quid nunc velis, intelligo. Antè id voluiſti, vt doceres diabolum eſſe leuiſſimum, ætheriam & aëriam naturam illi adſcribendam exiſtimaſti. Idcirco mox *leuiſsimam* appellas; & pau- Reſp. pag 25

Epist. p. 60. cis interiectis, affirmas, *eum essentia sua spirituali atq; volatili, id est, leuissima longissimè etiam leuiora sagarum corpora reddere, quantumuis hoc ab alijs non deprehendatur, vel potius ita attrahere spiritu suo essentialiter illis infuso ac inhærente, vt per eius leuitatem sustentatæ nolentes volentes sub aquas ferri nequeant.* Quasi verò æther, si pro cœlo sumatur, leuis sit, quasi aëi leuissimus. Nunc verò id vis, te comparatè ætheriam siue aëriam Diaboli naturam ob motus celeritatem, qua pollet, statuisse. Sed quid diaboli celeritas ad tuum propositum? Leuitatem astruere volebas: hac enim qualitate ad leuiora reddenda sagarum corpora, vel ea in aquis diabolica leuitate sustentanda, tibi opus erat. Inane igitur est hoc effugium, & instituto tuo nequaquam conueniens.

Deinde quid ad hoc respondes? Spiritualis naturæ esse, nónne hoc loco significat spiritum esse? Proinde vi eiusdem contextus *ætheriæ & aëriæ naturæ esse* valebit idem, quod ætherium & aërium esse. Coniunguntur enim hæc: *Maligenij natura spiritualis est, ætheria, aëria.* Quapropter responsio tua examini meo hac in parte nondum satisfecit.

Quod

Quòd verò ſpiritus aſpectabiles, quòd tractabiles eſſe negas, rectè facis. Verùm id nihil iuuat allatam abs te ſententiæ tuæ explicationem, imò confundit potius. Ex hoc enim iterum ſequitur, Diabolum neque ætheriæ, neque aëriæ naturæ eſſe.

Nam æther ſtellis coruſcus viſu, aër tactu percipitur. Quocirca dum prævidere te putaſti, vehementer es hallucinatus.

CAPVT VIII.

Mala fide agit Scribonius, quòd, cùm antè Diaboli eſſentiam propriè leuiſſimam ſtatuerit, nunc in locutione figurata latibulum quærat. Vbi contradictio; in ſagarum corporibus leuitatem deprehendi, & non deprehendi.

OBtinui hoc capite à Scribonio, vt agnoſcat leuitatem propriè acceptam, Diabolo tanquam ſpiritui nequaquam competere: quod alioqui cæcus feruor incauto indagatori cauſarū ſupern[illegible]nis extorſerat. Aſt malam mihi pro beneuola inſtitutione perſoluit gratiam. Nam ſolidas meas aduerſus ipſius errorem ratiocinationes argutiarum & cauillationum in- Epiſt. p. 26.

ertium nomine immeritò traducit.

Quinetiam inficiari audet, quòd tum Epistola tum Physiologia contra autorem suum, haud scio vtrum maiore consensu an euidentia testantur. Causam supernatationis sagarū nobis redditurus, Scriboni, eam in leuitate quærendam esse asseris. In qua? Nimirum in illa, quæ grauitati est opposita. *Leuia* enim *sursum ferri* ais, *grauia deorsum, ideoq; vel maximum lignum ob raritatem essentiæ, quam leuitas consequatur, mergi non posse: cùm tamen minima plumbi particula mergatur. Quoniam verò corpora sagarum in se grauia sunt & merguntur, leuitatem quæris, cuius beneficio natent, ab eaq; te recedere posse negas: quam cùm insitam ipsis statuere non audeas ob materiam & formam, quas cum alijs fœminis communes habent sagæ*; confugis ad *externam & aduentitiam, diabolicam* videlicet *leuitatem*, quæ tamen non minùs cum submergenti grauitate pugnaret. Ais igitur *corpora sagarum aliter disposita esse, quàm aliorum hominum corpora.* Ais *ab essentia diabolica inhabitante leuiora reddi.* Ais *sagas Diabolica leuitate sustentatas mergi non posse.* Ais *diaboli leuitati adscribendum, quo minùs mergantur.* Quæ omnia an non arguunt leuitatem

Epist. pa. 58. 59. 60. 61. Physiol. pag. 114. 115.

uitatem grauitati mergenti contrariam? Qualis autem illa est, Scriboni? Annon qualitas corporea, quam tu spiritui magno errore attribuisti? Libenter tibi do, te per aliquot annos in Physica tua ea, quæ nunc contra te affero, tradidisse. Est ita, ideoque vt tuis te armis conficerem, inde argumenta petiui. In Physicis tuis sic definis leuitatem: *Leuitas est qualitas à calore orta, omnia sursum euehens.*

Inde hæc argumenta elicui: Exam. pag. 28.29.

Vbi calor nullus, ibi nec leuitas.

At nullus in Diabolo calor.

Ergo nec leuitas. Alterum:

Quicquid leue est, semper sursum nititur.

Diabolus non semper nititur sursum.

Etenim in omnes mundi huius inferioris partes, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, siniſtrorsum, & quocunque deniq; vult, motu voluntario, non naturali, fertur:

Ergo Diabolus leuis non est.

Ex eo verò, quòd tua Physica inter corporum qualitates numerat leuitatem, sic ratiocinatus sum.

Quicquid corpus non est, non potest esse leue.

Diabolus corpus non est.
Ergo non potest esse leuis.

Qui syllogismus quoniam illegitimus videri poterat, quòd assumtio videretur negatiua, adieci, assumtionem propositionis respectu affirmare. Assumit enim medium terminum, qualis in propositione habetur, nimirum aduerbio negandi constantem. Et quò minus lector offenderetur, æquipollentem syllogismum subdidi. Perinde enim est ac si dixissem:

Exam. p. 29. *Nullus spiritus leuis est.*
Diabolus est spiritus.
Diabolus igitur leuis non est.

Vel si libet audire clariorem, talis esto.

Nihil incorporeum leue est.
Diabolus est incorporeus.
Igitur Diabolus non est leuis.

Quid verò tu contra hæc? Inuicta vides. igitur ad latebras confugis. *Quod dictum fuerat* (de leuitate Diabolorum puta) *in Phy-*
Resp. p. 27. *siologia mea*, inquis, *facilimè ad comparationis argumentum referri potuit, vel etiam ad operationum, actionumq; celeritatem, quod rapacissimo velocissimoq; motu per omnes angulos terrarum breuissimo quoq; temporis interuallo ferri aut pernicibus alis moueri valeret. Referri potu-*

ri potuit, inquis, at non relatum fuit. Neque commodè potuit. Repugnant enim illa verba, quæ paulò antè adduxi, nullam eiusmodi interpretationem admittentia.

Demus autem te per leuitatem intellexisse celeritatem, velocitatem, pernicitatem. Num celeritas opposita est grauitati? Num, quemadmodum mergit grauitas, ita celeritas mergi prohibet? Nihil hæc ad rhombum. Quid per leuitatem intelligeres, nimis clarè definieras, *cùm leuia diceres ferri sursum, lignumq; vel maximum ob raritatem, quam leuitas consequatur, mergi non posse.* Epist. p. 58. Et cùm physicam causam supernatationis sagarum allaturus fueris Lemgouiensibus, dic mihi obsecro: vbi in Physicis de leuitate, quæ celeritatem, velocitatem, pernicitatem significet, præcipitur? Dic etiam: quæ necessitas, pro tot claris & intelligibilibus vocibus minùs clara, minusque intelligibili uti te coëgit?

Et quid multa? Responsionis tuæ, quam ego nunc refutandam suscepi, capite nono, annon proprio indicio, vt sorex, periisti? Obieceram tibi pristinam grauitatem alios homines in sagis deprehendere. His tu sic respondes: *Miror, quod à pluribus carnifici-* Epist. p 30.

Resp p. 31. *bus & lictoribus audiui, corpora illarum respectu aliarum mulierum videri sibi, adeoq; esse leuissima, si gestentur ab ipsis in aquas proïciendæ.* De qua leuitate isthæc dixisti? Certè de physica illa propriè dicta, propriè intellecta, quæ grauitati aliarum mulierum aduersatur, diabolica tamen & aduentitia, nequaquam autem de celeritate, vt antea finxeras. Sed ecce noua contradictio. In epistola asseris, *à Diaboli spirituali atq; volatili siue leuissima essentia longissimè etiam leuiora sagarum corpora reddi, quamuis hoc ab alijs non deprehendatur: hic à carnificibus & lictoribus leuitatem illam deprehendi affirmas:* Et hæc mihi concilia, si potes.

Epist. p. 60.

Resp. p. 30.

Porrò inter alia quæ contra leuitatem diabolicam in Examine meo differui, hæc quoque fuêre: *Nec pro te facit, quòd Diabolus sagarum corpora in altum euehere, & celerrimè aliò transferre potest. Id etiam peculiaris roboris seu facultatis argumentum est, non leuitatis.*

Exam. p. 29.

Horum tu verborum sensum relinquis intactum, sed in ipsis verbis reperisti, non quod pueri in faba, atq; id triumphas seriò. *Robur me Diabolo attribuisse* quereris. Quid tum postea? Num spiritibus robur non debet

Resp. p. 28.

debet attribui? Fortaſſe quia robur corporis eſſe putatur, fortitudo animi. Nam tu cap. 12. meam phraſin *ſpirituali fortitudine* explicas. Atqui ſi id vis, nodum in ſcirpo quæris. Nam Cicero pater Latinitatis animo quoque robur aſſignare non erubuit. Et quidni diabolo robur attribuam, ſi quid viribus corporis faciat analogum? Si Diabolus ſaxum in altum tolleret, cui tollendo decem robore præſtantes viri non ſufficerent, fortémne an robuſtum dicere malles? Reſp p.49.

Verùm aliud eſt, quod te malè habet. *Quo iure*, inquis, *alio, quàm metaphoricæ locutionis robur aliquod ſpiritibus adſcribere vnquam poteris? At qui tale ius*, inquis, *mihi in aſſignanda ſpiritibus leuitate dare noluiſti.* Bona verba Scriboni. Scio ego à robore quercus ſpecie natam eſſe metaphoram, atque inde ad corpora animalium, & porrò etiam ad animum traductam, quod modò autoritate Ciceronis probaui. Analogia etiam ad eam locutionem me inuitauit, & ne obſcurus viderer, quid voluerim expoſui. *Peculiare enim robur illud ſiue facultatem* dixi. Nec adhuc iſtius locutionis me pœnitet, neque aliter olim intellexi, aliter nunc Reſp. p.28. Exam. p.29.

intellectam volo. Tu contrà, cùm de ſimplici & phyſica leuitate in Epiſtola & Phyſiologia multa deblateraſſes, ne conuictus erroris pudefieres, nunc in tropica locutione latibulum quæris. Neque candidè, neq; feliciter. Ego enim ex latebris illis tuis in propatulum magno tuo cum dedecore te extraxi. Equidem vſum figurarum Rhetoricarum nequaquam tibi denego. Sed cùm propriè locutus es, noli mutare propriam ſignificationem in figuratam. Alioqui inter verſipelles potiùs Sophiſtas, quàm candidos Logicos refereris:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Supereſt, quod tu diſſimulanter (illud volui dicere, feſtinanter) præteriiſti: ut Diabolum leuem eſſe argueres, cùm in Epiſtola, tum in Phyſiologia leuitatis illius documentum eſſe dicis, quòd homines per aërem ad loca remotiſſima ferre & impellere poſſit. Id quod ego nō leuitati, ſed peculiari robori ſive facultati acceptum tuli: tuæque vanæ coniecturæ abſurda quædam oppoſui his verbis: *Quod ſi ita nugari liceat, ego contrà Diabolis grauitatem ineſſe oſtendam. Ex cælo in infernum ſunt deturbati. Qui motus eſt ex ſuperiore loco in inferiorem*

Epiſt p.60. Phyſ.p.65.

Exam. c.8.

rem. Iam verò eo motu graues naturæ ferun-tur. Et Diaboli porcos, quos permittente Chri-sto ingrediebantur, deorsum, videlicet in mare præcipitabant. Quin etiam experti sunt non-nulli, se à spiritus insidentis vel incumbentis pondere grauissimè premi. Quæ sanè omnia grauitatis cuiusdam testimonia essent, si spiri-tualis natura grauitatis capax esset. Hos scru-pulos quia nec tibi nec aliis in responsione tua exemisti, per eum, quo me prosequeris, amorem etiam atque etiam à te peto, vt proximè eximere ne graueris.

CAPVT IX.

Quòd Diabolus essentiæ suæ per sagarum corpo-ra diffusione suam eis leuitatem nequaquam inserat.

QVoniam itaque, vt hactenus proba-tum est, Diabolus neq; sagarum cor-pora obsidet, neque propriè leuis est, quod posterius ipsemet nunc agnoscit Scribonius, leuitatem suam, quam nullam habet, cum sagis communicare nequaquam po-test. Falsissimum igitur est, neque vllo pro-babili fundamento suffultum somnium; *Diabolum in sagarum corporibus residentem* Epist. p. 60.

ſua eſſentia ſpirituali, atque volatili ſiue leuiſsima, longiſsimè etiam leuiora illa reddere.

Equidem Scriboni grauitatis argumenta in ipſarum corporibus ſuperſunt manifeſtiſſima. Non volant per aërem, niſi à dæmone transferantur. Vehuntur hircis, inſident ſcopis, quibus tanquam inſtrumentis in tranſlatione vtitur Diabolus. Vnguentis, quibus illinere ſe ad choreas profecturæ ſolent, tumetipſe tranſportandi vim adimis, Diabolo tribuis. Quinetiam priſtinam grauitatem alii homines in ſagis deprehendunt. Neque me perturbat, *quòd à carnificibus & lictoribus audiuiſſe te ais, ſagarum corpora eſſe & videri ſibi leuiſsima, ſi geſtentur in aquas proijciendæ* Id enim ſi quando contingit, non vtique Diaboli inhabitantis leuitati, quæ nulla eſt, ferendum eſt acceptum, ſed potius, quòd pleræque ſagæ vetulæ ſunt exangues, emaciatæ, excarnificatæ. Inſuper & hoc grauitatis argumentum eſt, quòd ex alto delabantes non minùs quàm alii homines terræ illiduntur. Nam ſecundum te quoque grauia feruntur deorſum.

Phyſ. p. 63.

Reſp. p. 31.

Et certè

Et certè si illa corpora, in quibus verè est Diabolus, sub aquas demergi nequirent, cur Gergesenorum porci, de quibus Matthæi & Lucæ 8. & Marci 5. sunt submersi? In hos enim vt irruerent dæmones, ipsemet Christus permiserat. Illis verò irruentibus, totus grex qui erat duorum millium, in mare se præcipitauit & suffocatus est.

Ex quo efficitur, vel sagarum corpora ob inhabitantem Diabolum non reddi leuiora, vel vt maximè id concedatur, quod tamen concedi nullo modo potest, leuitatem illam submersioni sagarum nequaquam obstare. Hunc nodum plusquam Gordium soluere quidem, hoc est eludere, conatus es, sed nullo successu. Est enim indissolubilis.

CAPVT X.

Quòd diabolica leuitate sagæ in aquæ superficie non sustententur.

EXaminis mei capite decimo alteram causam innatationis sagarum, qualis à te in epistola fuit allata, examinaui. *Diabolum*, illic ais, *suo spiritu essentialiter sagis infuso ac inhærente ita eas attrahere, vt per eius leuitatem sustentatæ* Epist. p. 60.

nolentes volentes ſub aquas ferri nequeant. Hæc tua verba ſunt.

Hîc primum, quid ſit ſpiritus Diaboli, non intelligo. Niſi fortè per ſpiritum Diaboli ipſummet Diabolum velis intellectum. Quod ſi vis, dixiſſes clariùs Diabolum ſagis eſſentialiter infuſum ac inhærentem eas attrahere. Verùm præ cæteris hoc leue.

Deinde cùm ſenſum verborum expendo, video te id velle, etiamſi grauia maneant ſagarum corpora, à leuitate tamen Diabolica ſuſtentari, quò minus mergi queant. Quod ego exemplo natatorum declaraui, qui ſpiritu ſuppreſſo faciliùs in aquæ ſuperficie retinentur. Verùm hæc quoque opinio ſubſiſtere nequit. Nam quomodo obſecro eius leuitate ſuſtentari poſſunt ſagarum corpora, qui reuera leuis non eſt? Id quod ſuprà à me abundè demonſtratum, & nunc quoque à te conceſſum eſt.

Tertiò & hoc miratus ſum, quomodo Diabolum attrahere ſagarum corpora putares, per quæ iam antè ipſum eſſentialiter diffuſum opinaris? Ineptæ ſunt phraſes, quibus vteris: ſententia ineptior: tu vtrarumq; autor longè ineptiſſimus.

Verùm,

Verùm, vt quisque verborum suorum optimus est interpres, ita te quoque verba tua interpretantem audiamus. *Sententiæ meæ*, inquis, *pleniorem explicationem qui voluerit, is Physiologiam de sagis vberiorem legere poterit, & intelliget quod dixi, Satanam diuina quadam impulsione aut Dei ipsius imperscrutabili voluntate & iustissimo iudicio, tanquam lictorẽ eas hoc ipso, quem dixi, modo attrahere. Quod certè dictu absurdum esse minimè arbitror. Non ex beneuolentia quadam aut benignitate per se illas in aquis retinet, quòd illis bene velit aut consultũ cupiat, sed vt iubente Deo earũ culpam atq; noxã omni populo manifestet.* Resp. p. 33. Serióne ista scripsisti, Scriboni, an ioco? Si seriò, cur tam subitò sententiam mutas? Omisso enim isto Dei lictore diabolo, ad aquæ odium leuissimo pede transilis, nouoq; illi commento tantum fidis, vt mox hæc verba subiicias: *Hanc rationem siue causam facilimè dixerim esse verissimam, vt si aliæ nullæ admittendæ videantur, vna tamen hæc* (nimirum ob aquæ indignationem & odium sagas mergi non posse) *recipienda sit.* Physiol. p. 121. Profectò si hæc ratio verissima est, actum est de Diabolo Dei lictore, sagas omni populo, vt ais, manifestante.

Physiol. 119. Cur etiam alibi dicis, *Deum ipsum sagarum, quas scilicet verè reas esse nouit, corpora singulari quadam & specifica leuitate induere, qua in superficie aquarum ferantur.*

En iterum Diaboli opera in supernatatione sagarum secundum te nulla est. Non seriò igitur ista, sed ioco à te scripta esse oportet: à dormiente potius ac somniante, quàm vigilante ac meditante.

Præterea cur in hac tua interpretatione leuitatis nullam feciſti mentionem, cùm tamen in Epistola diabolica leuitate sagarum corpora sustentari expressè scribas? Num tibi diaboli leuitas nunc suspecta est? Et mihi sanè iampridem &quidem sub primum epistolæ tuæ conspectum. Concedo & ego, à diabolo sagas in aquæ superficie retineri, sed non diabolica leuitate: nec vt sagas Diabolus manifestat, sed vt magistratum & spectatores dementet, in superstitione confirmet, iniquitatibus inuoluat; de quo capite postremo plura.

Epist. p. 60.

Ad morsus tuos ironicos, quibus me passim impetis, occallui. Lauda, vitupera, sugilla, ride: perinde est. Malo à te dicacitate quàm rationibus vinci.

CAPVT

CAPVT XI.

Quòd vaniſsimum ſit commentum, aquam ſagas odiſſe, ideoq; reſpuere, nec intra ſe recipere, quòd, cùm eius lauacro Eccleſiæ Dei primùm inſertæ eſſent, eo tamen ſpreto à Deo ad Diabolum defecerint. Concluditur itaq; ne hanc quidem ſupernatationis ſagarum cauſam veram exiſtimari debere.

A Leuitate petitas ſupernatationis ſagarum cauſas cum nouis effugiis gloſſisque hactenus expendi, refutaui, exploſi; reliquum eſt aquæ odium, ob quod ſagas à ſubmerſione alienas eſſe nugaris. Qua de re tua verba, qualia cùm in Phyſiologia, tum in Reſponſione habentur, lubricitas & inconſtantia tua me coëgit apponere.

In Phyſiologia de nouo hoc delirio ſic garris: *Sed videndum deinceps vtrúmne in ipſis fluminibus aut aquis ratio aliqua inueniri poſsit. Et quidni? Natura enim non prohibet. Quid igitur dicemus? Quam cauſam annotabimus quòd ſagæ aquis non ſubmergantur? Vtrúmne ſingularem quandam ſeu ſpecialem corporis aquarum & ſagarum antipathian? Maximè quidem. Aqua ſcilicet ſagas in ſe ferre non poteſt. Quomodo verò, & quam ob* Phyſ. p. 120.

causam? Nempe Deus Opt. Max. suo prudentissimo & iustissimo iudicio ab omnibus inde seculis elementum aquæ prædestinavit salutari regenerationis hominum lauacro, vt qui à peccatis abluendi essent, & Christi Ecclesiæ initiandi, huius baptismate vterentur, & per hoc medium noui homines facti quasi per ianuam in regnum Christi ingrederentur, qui priùs reiecti fueramus. Quandoquidem, inquam, Vatiniano quodam odio eas auersatur & reijcit, vt si maximè pro viribus tentent, non tamen submergi possint. Et quodnam est illud odium? Aquæ Deo placuerunt, quibus vsurpatis peccata hominum ablueret atq; purgaret. In baptismate Christo Dei filio nomina nostra primùm damus, & eius albo incorporamur, adeoq; in ciuitatem Dei vt germani ciues recipimur: ideóque omnes qui salui modò fieri volunt, sacro huic baptismati immergi & purgari oportet. At sagæ spreto isto diuino lauacro, toti Trinitati, Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto scientes volentes renunciant: & nihili Dei creatoris opera, nihil ordinationes & creaturas facientes, peccatores & apostatæ omnium aliorum fiunt pessimi. Cùm autem hoc scelere in toto mundo nullum scelestius, nullum deterius, nullum abominabilius vnquam definiri aut reperiri possit: quid

sit: quid dubitem dicere, si sagæ non submergantur aquis, id fieri ob peculiarem istam antipathian: videlicet quòd elementum aquæ nolit illas intra alueum suum recipere, sed omnino respuat, & omnibus modis fugiat, hunc scilicet in finem, vt peccatrices eiusmodi manifestentur. Nam & creaturæ inanimatæ inseruiunt prædicationi & gloriæ nominis diuini. Vt scilicet cæli, ita quoq; elementa enarrant gloriam Dei, tum aliàs, tum in hoc, si peccatum & iniustitia ab illis reuelata puniatur. Aqua in baptismate est sacramentum, est signum, est sigillum initi inter Deum & hominem baptisatum noui fœderis. Quidni igitur eadem alio modo signum aut indicium esse possit dissoluti illius & fracti iterum fœderis? Et hanc rationem siue causam facilimè dixerim esse verissimam, vt si aliæ nullæ admittendæ videantur, vna tamen hæc recipienda sit. Hactenus Physiologia.

Eandem cantilenam verbis nonnihil mutatis in Responsione repetis: *Ad plenio-* Resp. p. 33. *rem*, inquiens, *verò causarum innatationis sagarum explicationem, aliam insuper inquirere studui in ipsis aquis sive fluminibus: specialem videlicet aliquam corporis sagarum & ipsorum fluminum antipathian; quòd aqua omnis, occulta quadam sibi à Deo indita proprietate,* 34.

atq; odio inteſtino eas reſpuat & eïjcere tentet. Quandoquidem illæ toti Trinitati, Deo patri & filio & Spiritui ſancto ſcientes volentes, vt ex multarum teſtimonio percepi, renunciant, cui tamen in baptiſmate ſuo, aut immerſione aquæ regenerationis hominum ſalutari lauacro deſtinatæ nomina ſua ſanctiſſimè dederunt. Periuræ igitur factæ ab aquæ elemento iterum reſpuuntur, vt ſceleſtiſſimum illarum ſcelus & peccatum deterrimum, omnibusq; modis horrendum hoc modo perſpicuè manifeſtetur: & quidem in hunc præcipuè finem, vt punitis illis, gloria Dei à quo defecerunt magis magisq; inclareſcat. Iuſtitia enim Iudicis etiam mundani tum demum cognoſcitur, ſi iniuſtitia omnis punitur & è medio tollitur. Quemadmodum omnes etiam aliæ totius vniuerſitatis partes Deum prædicant, eiusque gloriæ amplificandæ, quantumuis irrationales videantur, inſeruiunt. Nulla igitur religio prohibuit dicere: Aquam baptiſmatis quæ ſignum atq; ſigillum eſt initi inter Deum & homines baptizatos noui fœderis, pariter diſſoluti illius & fracti iterum fœderis ſignum eſſe poſſe. Et occultam aquarum virtutem, ſive ſpecialem vt Phyſici vocant, aut propriam eſſe puto, & admirandam potius quàm ex primis aliis cauſis demonſtrabi-

ſtrabilem. Arcanum quoddam ſpecificum hîc eſſe & nobis ob oculos poni ſtatuo.

Quid, quæſo, anili hoc tuo delirio abſurdius? quid vanius? quid ſuperſtitioſius cuiquam vel per ſomnum in mentem venire potuit? Et tu nihilominus abſurditatem, vanitatem, ſuperſtitionem non vno, ſed pluribus argumentis tibi ob oculos poſitam, & haud dubiè, niſi incurabili cæcitate laboras, à te agnitam pertinaciſſimè tueri pergis, parum memor ſententiæ illius, quam Reſponſionis tuę capite quinto vſurpaſti:

Melius eſt errorem corrigere, quàm in eo perſeuerare.

Quoniam verò aliorum imprudentium oculis, cauillis tuis glaucoma obieciſti, quò minùs à me monſtratam veritatis lucem perſpiciant, perſpectamq; amplectantur; mei muneris eſſe iudico remediis idoneis idipſum abolere, & diſcuſſis cauillorum tuorum nebulis, oculis ad veritatis conſpectum caligantibus priſtinam claritatem reſtituere.

Curationis autem initium à baptiſmo faciam, in quo nunc innatationis ſagarum cauſam non ſanè phyſicam, ſed hyperphyſicam inquiris.

Nimium, Scriboni, aquæ in regenerationis & peccatorum noſtrorum ablutionis opere in Phyſiologia tua attribuiſti, & tantũ, vt neque Spiritus S. qui ſolus regenerat, neque ſanguinis Chriſti, qui ſolus à peccatis mundat, mentionem feceris. Quam tuam oſcitantiam nimis longè petita excuſatione palliare conaris. Qui accuratiùs tua verba inſpexerit, videbit ita, vt dixi, rem ſe habere. Ne quid me fingere aliquis exiſtimet, duas ferè paginas ex tuis libellis tranſcripſi. De meo nihil admiſcui.

Non regeneramur per aquam, tanquam per medium, ſine quo nemo regenerari, nemo nouus homo fieri poſſit. Inſtrumentum obſignationis eſt aqua, non regenerationis, niſi metonymicè loqui velis. Nam AEthiops & Cornelius Centurio, antequam baptizarentur, erant regenerati. Deus autem Spiritu ſuo nos regenerat, isq; ſolus vera regenerationis cauſa eſt.

Neque ſimpliciter verum eſt, quod affir-
Phyſ. p. 120. mas, *aquas Deo placuiſſe, quibus vſurpatis peccata hominum ablueret, & purgaret*: neque hoc, *illos, qui à peccatis abluendi ſint, huius* (ſcilicet, aquæ) *baptiſmate vti oportere*: neq; tertium illud; *omnes, qui modò ſalui fieri volunt,*

lunt, ſacro huic baptiſmati immergi & purgari oportere. Siquidem ſanguis Ieſu Chriſti filii Dei ab omni peccato nos purgat, 1. Ioh. 1. v. 7. Chriſtus lauit nos per ſanguinem ſuum à peccatis, Apoc. 1. v. 5. Redempti ſumus pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti tanquam agni immaculati, 1. Pet. 1. v. 19. Deus Eccleſiam ſuam acquiſiuit proprio ſanguine, Act. 20. v. 28. Quis igitur, inquies, aquæ in ablutione peccatorum vſus eſt? Obſignatio.

Vt clariùs rem ediſſeram, in Baptiſmate Theologi plura cõſiderant. Signum, quod eſt aqua: Rem ſignatam, quæ eſt ſanguis Chriſti. Miniſter verbi aſpergit aqua corpus exteriùs: interiùs Chriſtus animas ſuo ſanguine à peccatis mundat.

Hinc perſpicuum, qualis aquæ in Baptiſmate, vt tecum loquar, ſit *efficientia*: obſignatio videlicet, vt quàm certò aqua baptizati ſumus, tam certò credamus, nos per ſanguinem Chriſti remiſſionem peccatorum obtinuiſſe. His adde, ſicut antea quoq; attigi, quòd immerſio in aquam adumbrat nobis veteris hominis mortificationem, emerſio ex aqua regenerationem & nouam vitam. Reſp. p. 28.

Plus ego aquę in Baptiſmo tribuere non

ausim. Nam ablutio peccatorum, vt & regeneratio, sublimiora ac nobiliora opera sunt, quàm vt aquæ asscribi debeant: nisi id fiat per metonymiam, quatenus obsignat. Ad quem modum dicta scripturæ abs te adducta, explicanda & accipienda sunt.

Crede mihi, cùm Deus aqua in Baptismate, tanquam instrumento vtitur; non ea vtitur, sicut medicus hominis ægri corpus purgaturus, Rhabarbara, aloë, foliis sennæ, Agarico, quibus purgandi vis ineſt, sed vtitur ea tanquam sacramento, tanquam sigillo, cui à peccatis purgandi facultas nulla ineſt, sed tantùm obsignandi purgationem illam gratia: per quod instrumentum Deus efficax est suo Spiritu, in quibus vult, & quando vult, ita tamen, vt sine eo saluare possit, quos vult. Et tamen idcirco sacramenta negligenda non sunt, sed propter eum, à quo instituta sunt, reuerenter vsurpanda.

Phys. p. 120. Quæ cùm ita sint, non est cur existimes, *omnes, qui salui modò fieri volunt, sacro huic baptismati immergi oportere.* Quis enim æterna salute priuari putet infantes, qui sine baptismate è vita decedunt? Si quem inter Ethnicos de veritate edoctum, eamque iam ample-

amplexum & profeſſum, vel mors naturalis, vel violenta præueniret, aliáve cauſa impediret, quò minùs optato Baptiſmo frui poſſet, num ſalutis & æternæ vitę gratia tu hunc excidiſſe arbitraberis? Nequaquam. Quemadmodum enim, ſi negatus ſit Cœnæ vſus, locum habet; *Crede, & manducaſti:* ita hîc quoque valeret; *Crede, & baptizatus es.* Par vtrobique ratio. Latroni in cruce pendenti dicebat Chriſtus, *Hodie mecum eris in paradiſo*, & is tamen aqua baptizatus non erat.

Vt verò rem ipſam aggrediar: Sagas in aquam proiectas citra ſubmerſionis periculum volentes nolentes natare ais, ideò autem natare, quòd eas aqua mergi non patiatur, vtpote, quæ odio ipſas proſequatur Vatiniano, ideoq; auerſetur, reſpuat, intra ſe recipere nolit: odiiq; huius cauſam eſſe ſagarum ἀποστασίαν, quòd videlicet à Deo ad Diabolum deficientes Baptiſmum, qui aqua perficiatur, iniuria affecerint. *Periuræ*, inquis, *factæ ab aquæ elemento reſpuuntur.* Alibi, *Aqua*, inquis, *Vatiniano quodam odio ſagas auerſatur, & reijcit, vt ſi maximè pro viribus tentent ſubmergi, tamen nequeant.* Ratio mox ſubiicitur: *Quia ſpreto iſto* Reſp. p. 34. Phyſ. p 120.

diuino lauacro, Patri, Filio & Spiritui ſancto, ſcientes volentes renunciant, &c. Hîc odii à te temerè confícti pari temeritate fictitias cauſas adfers: cùm tamen initio huius capitis figmentum iſtud occultam virtutem, ſpecialem, propriam, & admirandam potius quàm ex primis aliis cauſis demonſtrabilem eſſe aſſeueraris. Nota contradictionem. Inane verò tuum ſtudium demiror, quòd rem admirandam potius quàm ex cauſis demonſtrabilem, tu ex cauſis demonſtrare quàm admirari malis.

Neutrum verò eorum, quæ aſſeruiſti, verum agnoſco, neq; enim quòd aqua ſagas odio habeat, neque quòd odium illud ex contemptu Baptiſmi oriatur, probare potes. Quis enim credat aquam, & non potius, Deum Baptiſmi autorem contumelia à Baptiſmi violatoribus affici? Teſtatur Paulus Apoſtolus 1. Cor. 11. v. 27. 29. eos, qui ad menſam Domini accedentes indignè de pane edunt, & de poculo bibunt, corporis & ſanguinis Domini reos fieri, ideoque ſibi iudicium edere ac bibere. Idem quoq; de Baptiſmo ſtatuendum eſt. Equidem qui Imperatoris vel Principis alicuius ſtatuam, imaginem, ſigillum malitiosè violant, non

non in lapidem, lignum, aurum, argentum, vnde facta ſunt, ſed in ipſum Imperatorem vel Principem delinquunt & iniurii ſunt.

Et tu ineptè ad vniuerſam aquam extendis, quod de aqua illa, qua quis baptizatur, intelligi oportet. Ea .n. à communi illa vſu & officio differt: ſicut in Cœna Domini panis Domini & poculũ Domini à communi pane & vino eadem ratione diſcernuntur. Quapropter vt maximè largiremur aquã Baptiſmi à Baptiſmi fœdifragis contemptoribus iniuria affici: ea iniuria tamen non quamlibet aquam concerneret, ſed illam duntaxat, qua quis baptizatus eſt. Quẽadmodum impii non de quolibet pane & vino, ſed de illis tantùm, quę in ſacra Cœna adhibentur, ex Apoſtoli ſententia indignè edunt ac bibunt; nec minùs tamen corporis & ſanguinis Domini rei fiunt. De vulgari aliquo panis, vini, aquæ contemptu hoc loco non agitur, ſed de tali, qualis in Sacramentorum vſu, vel potius abuſu committitur, qui nõ in ſymbolis hæret, ſed vlteriùs ad Deum vſque ſacramentorum autorem pertingit. Proinde cùm aqua fluminum aqua Baptiſmi non ſit, niſi quis in flumine

(quem morem tàmen Eccleſię noſtræ non ſeruant) baptizetur, iniuriam baptiſmi ad aquam fluminum pertinere nemo ſanæ mentis aſſeuerabit. Et vt maximè quis in flumine baptizaretur, non totum tamen flumen aqua baptiſmi cenſenda eſſet. Non igitur habebunt flumina iuſtam ſagis ſuccenſendi cauſam, nõ odio ipſas habebunt, non reſpuent, non mergi prohibebunt, vt tu Scriboni nugaris.

Neque ſequitur, ſi maximè à ſagis ſpreta eſſet aqua, propterea aquam ſagas odiſſe. Quia non viuit aqua, quia non ſentit, quia ratione non eſt prædita, quia nihil habet quod rationi ſit analogum. Odium enim ex offenſa naſcitur. Odiſſe autem nequit, quod moleſtiam non ſentit.

Talis autem, vel teipſo confitente, eſt aqua res quippe inanimata, vita, ſenſu, mente penitus deſtituta, de qua tamen vt dere animata loqueris, dum velle & nolle, dum ſenſum contemptus ſui, & ſagarum à Deo defectionis, dum Vatinianum odium illi attribuis. Quòd antipathian vocas, ſuo loco excutietur.

Reſp. p. 40. Probas ſcilicet argumentum hoc, & *ſolertiſſimi Philoſophi inuentum* per ironiam dicis.

dicis. Philoſophus ſum, fateor; ſolertiſſimus non ſum. Attamen ſi tua ſocordia, (vah quid aio? ſolertia, volebam dicere) meam mediocritatem vinceret, id equidem turpe mihi ducerem. Per ἔνστασιν argumentum meum eneruare tentas. *Cur*, inquis, *& quo ſenſu regius ille Propheta & Logicus minimè fallax homo, nimirum ſapientiſſimus Dauides, ſimiliter omnino loquitur? Exitum, inquiens, Iſraëlis de AEgypto mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum: Montes exilierunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium.* Aperi aures, Scriboni, & quod petis, audies. Recitatione miraculorum diuinorum humanos animos ad diuinæ potentiæ & bonitatis admirationem, debibitamque reuerentiam Pſaltes expergefacere voluit. Ex quibus primum eſt, quòd Deus Iſraëlitas ex AEgypto fugientes per mare rubrum vtrinq; ſtantibus inſtar murorum fluctibus ſicco pede traduxit: Exod. 14. v. 21. 22. Alterum, quòd Iordanem ſtitit, ſiccumq; tranſitum Iſraëlitis per eius alueum prębuit: Ioſ. 3. v. 15. 16. 17. Tertium, quòd montem Sinai concuſſit, cùm legem promulgaret: Exod. 19. v. 18. *Tu verò quomodo res inanimatæ*, inquis, *videre, aufugere, &*

Reſp. p. 40.

Pſalm. 114.

Reſp. pag. 40. 41.

præ lætitia (tua hæc gloſſa eſt) *exilire & poſſunt, & res per naturam fixæ moueri?* Quid quæris? Annon hiſtoriæ ſunt manifeſtæ? Deus diuiſit mare & Iordanem, montes tremefecit. Et nunquid hoc illi impoſſibile à cuius facie mota eſt terra? vt mox ſequitur. At vidiſſe dicitur mare: per proſopopœïam de rebus inanimatis loquitur Propheta, tanquam de hominibus, quas etiam paulò pòſt compellat vt homines, cùm tamen nec videant quicquam nec audiant. Figuris iſtis Propheta acriùs coarguit hominum ſocordiam, niſi rationem, quà à Deo ſunt donati, ad Dei maieſtatem in operibus ſuis conſiderandam conferant. Nimis craſſus es Theologus, ſi tu iſta ſimpliciter accipis.

Quòd cœli gloriam Dei enarrant, Pſal. 19. quòd confitentur Deo, Pſal. 137. quòd laudant Deum ſol & luna, quòd cœli cœlorum & aquæ, quæ ſupra cœlos ſunt, quòd cete & omnes abyſſi, quòd ignis, grando, nix, glacies, Pſalm. 148. quid aliud ſibi vult, quàm in omnibus creaturis etiam inanimatis relucere diuinæ ſapientiæ, potentiæ & bonitatis manifeſtiſſima iudicia? Conſonat huic vulgatum illud, *Opus laudat opificem,*

cem; cùm videlicet operis perfectio & nobilitas opificis commendat industriam. Vnde Buchananus verba Psalmi XIX. paraphrasticè explicans sic canit:

Insanientis gens sapientiæ
Addicta mentem erroribus impiis
Tot luce flammarum coruscum
Cerne oculis animoq; cœlum.
Hinc disce prudens quam fuit artifex,
Qui templa Olympi fornice flammeo
Suspendit, & terræ capacem
Et pelagi sinuauit arcum.

Rectè quidem dicis, *in omnibus his nullum esse vocis organon, & tamen laudare Dei maiestatem & prædicare posse.* Veruntamen haud alio, quàm dixi, sensu, ne tu fortè, vt soles, crassiùs quid animo concipias. Resp. p. 41.

Quid aũt crassius? quid barbarius? quid à religione alienius ista tua conclusione? *Cũ laudare queant, quî non etiam vituperare, respuere, odisse possent?* Quam rem audio? Ergo in operibus Dei est aliqua ἀταξία? aliqua imperfectio? aliqua deformitas? quam ob causam Deus reprehendi mereatur. Cur igitur κόσμον Græci, mundum Latini sic nuncuparunt? nisi quòd mundo nihil elegantius, siue ordinem siue perfectionem spectes. Resp. p. 41.

Laus opificis ex operis pulchritudine, apto partium ſitu, perfectione naſcitur, ex contrariis vitiis vituperium. Quod ſi de hominibus iſta intellecta velis, ſtuporem tuum, & extremam phraſium ſcripturæ, quibus Andabatarum more pugnas, prodis ignorantiam. Eiuſmodi laus nulli hominum, ſed ſoli Deo à creaturis debetur. Non enim hominum, ſed Dei ſunt creaturæ. De arte productis aliud ſentiendum, quæ prout elaborata ſunt, ita vel vituperant vel laudant autores ſuos, à quibus ſunt elaborata.

Reſp. p. 41. Nec minore abſurditate addis, *reſpuere, odiſſe poſſe.* Talia ex phraſibus iſtis ſcripturæ nunquam euinces. Pœnitet me iudicii tui, piget temeritatis, pudet inſcitiæ. Noli igitur poſthac ſutor vltra crepidam.

Reſp. p. 41. *Sermonem*, inquis, *meum planè ſimilem, tu ridiculum nominaſti. Ergo rides etiam Dauidis regij Prophetæ verba?* Abſit. Tua verba rideo, Scriboni, non Dauidis. Quod Dauid locutus eſt, inſpirauit Spiritus ſanctus: quod tu effutiuiſti, inſuſurrauit mendacii & ſuperſtitionis pater Spiritus malus. Phraſes ſcripturæ quantumuis figuratæ veras res ſignificant: Quòd ſagas aqua oderit, quòd reſpuat, tantiſper pro falſo habemus, dum pro-

probes contrarium. Itaque phraſes ſcripturæ reueremur, amamus, amplectimur, laudamus: Tuo cerebro imò Styge natas gerras non tantùm ridemus, verùm etiam iuſto odio proſequimur, reſpuimus, vituperamus.

Verùm vt eò me recipiam, vnde à te ſum abreptus. Aqua, vel teipſo confitente, res eſt inanimata, expers vitæ, ſenſus, rationis, addo de meo, neq; quicquam rationi habet analogum. Ergo odiſſe non poteſt. Quid tu ſecundò contra hoc argumentum adfers? *Quî igitur*, inquis, *terra lætabitur ob bonitatem Dei? quomodo montes exultabunt? quæ & ipſæ res inanimatæ ſunt, neq; ſentiendi, neq; appetendi facultate vel minimum præditæ.* Iterum, inquam, nimis craſſus es Theologus, ſi iſta ſimpliciter accipis. Reſp. p. 41.

Quî bonitate Dei lætetur terra, requiris?
Cùm viridi pingues cõueſtit gramine cãpos,
Præbet olus, florum iucundo vernat amictu,
Sperata vacuos locupletat meſſe colonos,
Fructib⁹ arboreis fœcunda eſt, fundit oliuũ,
Vinaq; de grauidis ſtillant expreſſa racemis.
Deniq; cùm, quicquid vitæ deſiderat vſus,
Porrigit vbertim de pleno copia cornu.

Eodem ſenſu *lætas ſegetes* Virgilius dixit

provberibus. Vbertas enim homines facit lætos. Quomodo montes exultarint, ſuprà dixi.

Reſp. p.41. Neque eſt, quod vereâre, ne aliquis mei ſimilis vnquam quærat, *quomodo aqua peccata, quæ non videt, non ſentit, abluere poſſit?* Scimus enim peccata noſtra non aqua, ſed Chriſti ſanguine ablui. Nihilominus tamen aquam ablutionis illius ſigillum ſtatuimus, quo munere vt fungatur, nec viſu, nec alio quopiam ſenſu opus habet. Cur

Reſp. p.41. verò *aquæ Deo ad ſuum illud inſtitutum placuerint*, nec meum nec tuum eſt curioſiùs inueſtigare.

Nuda Dei & ſimplex ſtat pro ratione voluntas.

Quanquam, ſi analogiam ſpectes, hîc etiam eſt, quod Deus intelligere nos voluit. Vlterius pedem ferre, Chriſtiana modeſtia vetat.

Conſiderare te nunc velim, Scriboni, tuæ ratiocinationis (ſi ita dici meretur) va-

Reſp. p.41. nitatem. *Terra lætatur ob bonitatem Dei, montes exultarunt.* Ergo aqua *ſagas odit.*

Auditum admiſſi riſum teneatis amici.

Probetur conſequentia. Mihi quidem præpoſterè agere videris, Scriboni, qui exemplis & ſimilitudinibus aſſertionem non-

nondum probatam illustrare satagis. Proba priùs aquam sagas odisse, postea quomodo oderit, similibus vel aliter declara. Et cùm in allegatis phrasibus scripturæ sensus insit figuratus, nunc metaphora, nunc metonymia occurrēte; primùm exponenobis, propriéne loquendo sagas ab aqua odio haberi putes, an figuratè: & si figuratè, vtrum μεταφοεικῶς, an μετωνυμικῶς. Sive metaphoram siue metonymiam eligas, alterius generis exempla perperam adduxisti. Absurdum certè, quòd odium aquæ Vatinianum appellas. Haud scio an vllus tropus tam alienum epitheton excusare possit, nisi fortè κατάχρησις. Qui enim ratione abuti audet, ei non est religioni abuti verbis. Quanquam vt tu crassissimus es Theologus, omnia ista crassissimo modo intellexisse vidéris, quippe qui tropicæ significationis in tota hac phrasium scripturæ commemoratione ne semel quidem mentionem feceris, facturus alioqui, vt tantò in Rhetorica versatior videreris.

Quicquid prætendas, in *antipathia* tibi subsistendum est, quam dicis *alienationem à sagis, inimicitiam, odium*. Eamque antipathian variis epithetis ornas. Vocas enim Resp. p. 34. 42.

Resp. p. 42. propriam, *specialem, occultam virtutem, admirandam potius, quàm ex primis aliis causis*
Resp. p. 34. *demonstrabilem, arcanum specificum.* Sed licet antipathian nomines, reipsa tamen antipathian esse negas. Cùm enim nullius antipathiæ causæ reddi possint, vt ipse fateris, aut nulla inter sagarum corpora & aquam erit antipathia, aut, si qua est, eius causæ nullæ reddi poterunt. Vtrumlibet concedas, hærebis. Si enim prius: iacebit tota hæc tua de odio aquæ erga sagas disputatio. Sin posterius: frustra in odii illius causis afferendis laboras. Elige vtrum malis. Elabere, si potes. Etiamsi tibi per me liceret, per teipsum tamen non licebit.

Resp. p. 42. Pergamus ad alia. *Aqua*, inquis, *lauacrum factum est hominum regenerandorum, idq; ex voluntate, ordinatione, prædestinatione, & imperscrutabili iudicio Dei Opt. Maximi. Vt videlicet visibile instrumentum esset regenerationis. Ergo ex eiusdem voluntate & ordinatione sapientissima etiam esse potest instrumentum, vel etiam, si ita malis, signum purgandarum & explorandarum sagarum, vt visibiliter omnibus fiant conspicuæ.* Hucusque tua verba; quibus ita respondemus. Quòd Deus Baptismum initi inter ipsum & nos fœde-

fœderis ſigillum eſſe voluerit, vt ablutionem à peccatis, vt veteris hominis mortificationem, vt regenerationem fidelibus obſignaret, ſacræ literæ docent, idque nos reuerenter credimus. Quòd verò idem Deus aquam diſſoluti & fracti illius fœderis purgandarumque & explorandarum ſagarum inſtrumentum aut ſignum eſſe velit, à nemine, niſi à te, vnquam audiuimus. Aut teſtimonia ſcripturæ cedô, aut rationes. Vtrisq; deſtitueris. Eóne verò impietatis, eò proteruiæ, tu homuncio ignauiſſime prorumpere auſus es, vt aquam, quam Chriſtus Sacramentum pacti inter nos & ipſum fœderis inſtituit, tu in vſum contrarium velut Antichriſtus quidam mutares? *Nulla,* inquis, *religio prohibuit dicere: Aquam baptiſmatis, quæ ſignum atque ſigillum eſt initi inter Deum & homines baptizatos noui fœderis, pariter diſſoluti illius & fracti iterum fœderis ſignum eſſe poſſe.* Si vel mica religionis tibi ineſſet, nunquam iſta verba excidere tibi paſſus eſſes. Sacramenta à Deo inſtituta coniunctionem noſtri cũ Deo, non diſſolutionem ſignificant. Quis aliter te docere iuſſit? Hoſtis Dei, hoſtis religionis, hoſtis veritatis, tuus ſuſurro Diabolus.

Reſp. p. 34. Phyſ. p. 121.

Resp. p. 42. Quid verò porrò? *Alienationem*, inquis, *aquarum à sagis, inimicitiam & odium illorum corporum, quæ tu negas, Deum dico ipsis imprimere, qui destinato tempore eas puniri velit.* Ego verò, Scriboni, quod tu dicis, nego, quandiu non probas. Nullis verò argumentis vnquam probare potes. Pythagoram alterum audire mihi videor. Qui si quid etiam sine ratione affirmasset, id fidem tamen apud discipulos inueniebat. Tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret autoritas. Iterúmne tu illud valere vis, IPSE DIXIT? Ipse autem sit nouus ille Pythagoras Scriboni-us? Libertas Philosophica non feret, non patietur, non sinet.

Est tamen, quod tuæ huic asseuerationi etiam sine ratione prætexas. Ais enim: *Quod si absurdum hoc ridiculumq; tibi videatur, quòd causæ huius & impressionis, quam dixi, certum & expressum testimonium in sacris literis non extet: absurdiora quoq; multa videbuntur. An verò nescis opera Dei cuncta esse imperuestigabilia? Quis potest in omnibus mentem Domini cognoscere? Quis in omnibus esse potest ei à consilijs? Cogitasses potius profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis*

tionis eius, quam ipsemet Apostolus miratur in epist. ad Rom. Miram rem audio. Num verò tu, Scriboni, iudicia Dei & eius vias (sic enim, non, vt tu recitas, loquitur Apostolus) perueſtigaſti? Num Dei mentem cognouiſti? Num à conſiliis ei fuiſti? qui tam audacter affirmas, quod nec autoritas ſcripturæ, nec recta ac ſolida ratio vnquam tibi dictauit. Si cogitaſſes profunditatem diuitiarum tum ſapientiæ tum cognitionis eius, ea, quę pro arcanis habes, tu quoq; imperueſtigabilia cenſuiſſes.

Affectaſſe ferunt regnum cæleſte Gigantes,
Altaq; congeſtos ſtruxiſſe ad ſidera montes:
Magnum opus aggreſſi, maius Scribonius audet.
Qui diuûm arcanis demens ſua crimina velat.
Terruit hos fulmen, grauior te pœna manebit,
Scriboni, ni reſipiſcas.

Quod ſi ſimili temeritate abuti ſcriptura liceret, quid à veritate alienum eodem prætextu non queat excuſari? Deſine igitur ex me percontari, quod mihi ex te meliori iure licuiſſet.

Ad ἀπάθειαν redeo.

Hîc iterũ occurrit dignus te vindice nodus,

In quo süaue loquentiæ flumen tuæ,
Cotigq; acumen exeris ſimillimum;
Quæ cùm alios acuat, manet obtuſiſſima
ſemper.

Si qua eſt inter ſagarũ corpora & aquam ἀντιπάθεια, illa etiam in minimis aquæ particulis ſeſe manifeſtaret ac proderet. Aqua enim eſt corpus homogeneum, cuius partes eiuſdem ſunt naturæ cum toto. Abhorrebit igitur vel minima aquæ guttula non minus à ſagarum corporibus, quàm magnum aliquod flumen. Non igitur ſagæ inter pluendum madefient, declinantibus ob odium guttis. Non lauabuntur aqua, admotionem antipathia non ferente. Per medias aquas nunquam incedent, ſed ſuperficiem eius, vt Chriſtus & Petrus fecêre, calcabũt: quia *aqua eas auerſatur, reſpuit, intra ſe recipere non vult.* Hæc enim tua verba ſunt. Multò minùs aquam bibent, & in ſuorum corporum nutrimentum conuertent. Certè qui naturaliter à vino, caſeo, lacte, abhorrent, ſi quid horum ignorantes accipiant, non modò per vomitum, quod aſſumpsêre, reiiciunt, ſed etiam hæmorrhagiam narium aliaque grauiora ſymptomata patiuntur. De ſagis nihil tale compertum

Phyſ. p. 120.

tum est. Vnde efficitur, inter sagarum corpora & aquam nullam esse antipathian.

Neque quicquam pro te facit, quod ais, *ab aquæ potu abhorrere, incertum iudicibus signum & planè obscurum documentum esse*. Resp. p. 44. Extra oleas, Scriboni. Non enim hoc iam quæritur, sed vtrum aqua sagas oderit, vtrum aliqua antipathia inter aquam & sagas sit. Talia iudicia vt præstigiosa ego penitus reiicio.

Quomodo verò tu nodum hunc dissoluis? Inanium verborum inani strepitu. Ea verò audiamus. *Singulare*, inquis, *tui in defendenda veritate patrocinij studium prodidisti in sequentibus: acriter nimirum contendens, si antipathia quædam sit aquæ & sagarum, eam totam in minutissima qualibet aquæ particula esse oportere. Verisimile siquidem hoc videtur: cùm pars quælibet naturam sui totius* (cur homogenei nullam facis mentionem Scriboni?) *participare debeat. At quî quæso, proh omnium qui in toto hoc terrarum orbe adhuc hodie viuunt, intelligentiam, quî inquam si maximè sit, huius experientiam feceris? Quomodo in minutissima aquæ particula sedebit, iacebit, natabit, grande eiusmodi corpus alicuius sagæ, vt videatur ac obseruetur, si* Resp. p. 44.

ſubmergi poſsit illa nec ne? Si quam tacitè proponere videris, aſſumptio tibi illuſtranda ac comprobanda ſit: conſequens videlicet propoſitionis non eſſe, quomodo quáve ratione illam demonſtrabis? Aſſumatur amabo ſagas non in omni minima aquæ guttula ſupernatare. Quã autem ridiculè hoc omne, dicetur? Quomodo guttula aquæ ſagas portare poterit. Videatur itaq; vel cogitaſſe talem aſſumptionem abſurditas omnium abſurdiſsima, & vanitas de rebus ſeriis diſputantium vaniſsima, ſibilo & exploſione digniſsima. Hæc tua Logica eſt, hæc Rhetorica, qua nodum indiſſolubilem eluſiſti, non diſſoluiſti.

Quæro ego ex te, an non corpus homogeneum id ſit, cuius partes eiuſdem cum toto ſunt naturæ? Quæro iterum, annon aqua ſit corpus homogeneum? Ex quo quid aliud ſequitur, quàm aquæ partes eiuſdem cum tota aqua eſſe naturæ? Præmiſſæ tam verę ſunt, vt, niſi frontem planè perfricuiſti, neutram negare poſſis. Ex hoc argumento veteres Phyſici collegerunt, aquæ figuram ſua natura rotundam eſſe, quòd guttæ rotundam ſemper affectent figuram. Decidentes enim ea ſpecie viſuntur. Pergamus. Atqui aqua ſagas propter antipathian odio habet.

habet. Eaſdem igitur etiam minimæ aquæ particulæ odio habent. Huc tendunt mea verba: *Si aqua ſagas tantopere ⌣ auerſatur, cur non minùs, quàm alij homines ab illa madefiunt? cur lauantur aqua? cur per medias aquas incedunt? cur etiam aquam bibunt?* Et mox illud de corporis homogenei, eiuſque partium natura ſubiicitur, ne aquæ odium ad ſola flumina, magnasque aquæ collectiones reſtringeres. Exam. p. 48.

Neque tamen ſequitur, quoniam ſagarum corpora in flumine natant, etiam in minima aquæ particula natare oportere. Iſtud ſanè in mentem mihi nunquam venit, & ſi maximè veniſſet, tibiq; obiectum eſſet, à te tamen, cuius delirio aduerſatur, ſolui debuiſſet. Aliud eſt de odio aquæ & antipathia, quæ qualitas eſt; aliud de natatione loqui, quæ certam aquæ quantitatem natanti corpori proportione reſpondentem requirit. In odio refutando nunc verſamur, ad natationem nondum peruenimus. Proditor hîc partim inſcitiæ partim malitiæ tuæ fuiſti. Supra modum audire te cuperem corporis homogenei partiumq; homogenearum naturam explicantem.

Præterea cùm ſagæ panem Domini con- Exam. pag. 43. 44.

tra Dominum edentes,& poculum Domini contra Dominum bibentes non minore contumelia ſacram Cœnam afficiant, quàm Baptiſmum: Cur hæc duo ſymbola panis & vinum non pari etiam odio, quo aqua, ſagas proſequuntur? videmus autem pane ſagas veſci & vinum auidiſſimè bibere, adeò vt nulla hîc odii vel minimi argumenta appareant. Hæc ego in Examine meo contra te attuli. Quæ tu ſic oppugnas:

Reſp. pag. 45. 46. *Syllogiſmus*, inquis, *hic eſt ex media Theologia depromptus. Hoc igitur opus hic labor erit, vt iſtum ſoluamus. Sententia tua eſt: Si aqua ob ſui contemptum ſagas odit: vtiq; etiam panis & vinum eas odio proſequitur. Sed hoc non eſt. Igitur nec illud. Aſſumptionem probas, quia videmus eas pane veſci, & vinum auidiſſimè bibere. Sed quænam leges informandorum ſyllogiſmorum docuerunt aliud proponere, aliud totaliter à propoſitione diuerſum aſſumere. Panem primò propoſuiſti, & vinum in menſa Domini conſecratum. In aſſumptione de victu panis & vini quotidiano.* Si libet, huius argumentationis meæ rationem audi. Et videbis tuam Reſponſionem omnino contra te facere. Nam

Si aqua Baptiſmi violatores poteſt odiſſe,

poſſunt

possunt etiam panis & vinum Cœnæ Domini indignè sumentes odisse.

At qui prius concedis, imò statuis.

Concedas igitur & posterius oportet.

Deinde:

Si aquæ Baptismi iniuria ad vniuersam aquam pertinet, contumelia pani & vino in Cœna Domini illata ad vniuersum quoq; panem & vinum pertinebit.

At qui posterius nunc tibi displicet.

Cur non igitur displicet & prius?

Tu certè in eum impingis lapidem, quem mihi obieceras. Cùm aquam ob acceptam in Baptismo iniuriam sagas odisse nugeris, quod de Baptismi aqua proposueras, nunc ad aquam fluminum imò vniuersam extendis, à qua tamen aqua Baptismi non minus differt, quàm panis & vinum Cœnæ Domini à communi pane & vino. Vides miser, vt proprio te hîc gladio iugulâris. Qua enim ratione communis panis & commune vinum nõ oderunt indignè sumentes, eadem ratione neq; aqua communis, qualis est fluminum, odio habebit sagas. Quæ proximè his subiunxisti, quia tua, non mea sunt, tuamque produnt

facilitatem, risu potius quàm animaduersione digna iudicaui. Atq; hactenus odium aquæ erga sagas expugnauimus. Sequitur natatio.

Esto autem: Aqua sagas oderit. Tum profectò mergi ipsas potius sinet, quàm in superficie veluti dorso suauiter subiecto retinebit. Respondes tu, *si mergerentur, id signum fore incertum, cùm alij quoq; homines sæpe mergantur.* Sed hoc nihil ad propositum. Neutrum ego sagarum manifestandarum signum esse volo. Sed hoc tantùm vrgeo; Si odisset, læderet. Læderet autem suffocando. Sic in probatione per ferrum candens, pro innocentiæ indicio habetur, si ferrum candens cõtra naturam ignis, contrectantis manum nõ vrat; vti è contrario si vrat, reatum significat. Obiicere & hîc posses, vri quoque à ferro ignito sæpenumerò alios homines, ideoque & hanc probationem fallacem esse. Rectè quidem. Sed alia ratio fuit vstionis extra probationem, alia in probatione. Idem etiam de aqua foret statuendum. Vt enim ferrum ignitum lædit vrendo, sic aqua submergendo & suffocando. Cunigundis Henrici secundi Imperatoris Romani coniux, cùm

Resp. pag. 42. 43.

vndis

vndis pedibus vndecies ignitos vomeres ſine vlla læſione calcaſſet, caſtitatem, quam violaſſe putabatur, coniugi cæterisq; ſpectatoribus probauit. Alius cùm incendii argueretur, nudis humeris citra noxam ferrum candens tulit, atque ita ab eo crimine ſeſe liberauit. Idem ferrum abiectum vbi poſt annũ incendii autor, cum viam lapidibus ſterneret, inueniſſet, eoq; ſe malè vri exclamaſſet, pro reo habitus ac condemnatus eſt. Hiſtoria extat apud Albertum Krantzium, & à dn. D. Perzelio ex annalibus Witebergenſium mihi aliquando eſt commemorata. Rem tua ſubtilitate dignam feceris, ſi huius quoq; rei Phyſicas cauſas ex ipſis naturæ pènetralibus erueris. Ex eadem officina & hæc & illa probatio prodierunt, æquè incertæ, æquè fallaces, quamuis aliquando reſpondeant.

Quod ſi etiam vera eſſet tua ratiocinatio (ſit venia dicto) aqua non ſolùm ſagas, verùm etiam quoſlibet alios impios impœnitentes, & ſiue occultos ſiue manifeſtos Dei & religionis deſertores, odio habebit. Siquidem & hi ſunt ſacri baptiſmatis periuri violatores. Atqui quos odit aqua, eos tu mergi poſſe negas. Num verò impii, hy-

pocritæ, apostatæ Ecclesiæ Dei olim inserti, à submersione sunt immunes? Contrarium docet experientia. Ex quo apparet fundamẽtum tuum infirmissimum esse, vnde sagas natare astruxisti. Cur argumentum hoc in Responsione tua intactum reliquisti? Et sanè si hæc tua ratio valeret, nulla re facilius in Ecclesia æternæ salutis hæredes à damnandis dignoscentur.

Postremo loco contra tuum delirium adduxi ea, quæ de insulæ Ponti incolis ex Philarcho refers. *Ii enim* (vt tecum loquar) *cùm propemodum omnes artem norint Magiæ illicitæ & præternaturalis: nulla ratione sub aquis possunt mergi, vt maximè pluribus etiam vestimentis aggrauentur & onerentur.* Quid verò hos mergi vetuit, Scriboni? Non odium aquæ. Nam Ethnici erant sacro baptismate neutiquam tincti. *Apostolus Paulus*, inquis, *ad hanc obiectionem respondet: Exiuit, inquiens, sonus eorum in omnem terram. Dixerim itaq; baptismum & ipsos spreuisse, quatenus per maiores suos, qui promissioni Abrahamo primùm factæ fidem non dederant, sed à fide eius deficientes circumcisionem pariter (in cuius locum baptismus surrogandus erat) cum aliis Dei præceptis contempserant, delin-*

delinquentes & ipſi eorundem peccatorum rei facti ſunt, vt verbi diuini & eius ſacramentorum non potuerint eſſe participes. Et quia interim Deum creatorem ſuum, quem ex creaturis teſtante Apoſtolo cognoſcere potuiſſent, relinquentes ad Cacodæmonem ſponte ſua vt alij defecerunt, nihil etiam niſi blaſphemiam Dei & perniciem proximorum ſuorum quærentes: Deus idcirco creator eos nihilominus per aquam ad baptiſmum à condito inde homine prædeſtinatam, manifeſtari voluit, vt propter ſcelera illa ſua nimis enormia hîc etiam corporaliter punirentur. Hactenus tu:

Si verum dicis, ſi verum crux mea narras.

Nullus infidelium iam inde ab orbe cõdito ſubmergi potuit, quia ſic baptiſmũ omnes ſpreuerunt, quo certè nihil exoptatius fuiſſet iis, qui in diluuio ſunt ſubmerſi. Nihil contrà grauius nobis Chriſtianis, ſi per maria, per flumina infideles Turcæ ad nos ſine ſubmerſionis diſcrimine peruenire poſſent. Addis: *Et quam virtutẽ occultam Deus elemento aquæ hanc ob cauſam impreſſit, eam vbiq; gentium in Ponto, in Aſia, in Calabria & alibi habere & retinere poteſt, ſiue baptizentur illic, ſiue non baptizentur indigenæ.* Vides quomodo ab aqua Baptiſmi ad vni-

uersam aquam euageris, quod antea quoq; tibi obieci. Sed finis faciendus est, quia hîc & tu finem facis. Quis enim ineptiis tuis copiosiùs responderet?

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

CAPVT XII.

Quæ vera sit cùm efficiens, tum finalis supernatationis illius causa.

QVoniam itaq; Diabolo nulla inest leuitas, qua sagarum corpora leuiora reddere, aut, si grauitatem pristinam retineant, in aquæ superficie sustentare queat, nulla item leuitas peculiariter sagarum corporibus à Deo indita, odium erga sagas nullum, restat ut eius rei aliam causam veriorem inuestigemus. Tu triplici leuitate, odioque aquæ reiectis, pro quibus tamen hactenus tanquam pro aris & focis depugnasti, ais Diabolum *hoc præstare velut iro-* Resp. p. 49. *bustissimum Dei lictorem, qui iustissimum eius iudicium executurus, eas vniuerso populo spectandas præbere, & delictorum, quorum arguuntur, reas indicare debeat.* Nos facilè credimus Diabolum sagas in aquæ superficie retinere: quod addis, non, ante quàm abs te probe-

probetur, ſumus credituri. Retinet autem non aliqua ſua leuitate, ſed robore (fortitudinem enim ſpiritualem tecum appellare erubeſco) eoque peculiari. De modo autem, quo robore illo ſuo vtatur, nihil decerno. Incognitum mihi fateor. In ſumma: Diabolus ſupernatationis illius eſt cauſa efficiens.

Ad finem quod attinet, eum ex Diaboli ingenio æſtimari debere adhuc contendo. Eſt autem Diabolus mendax, fallax, humani generis hoſtis, hoſtis æquitatis, ipſiusque adeò Dei. Hunc igitur quis alium ſcopum habere credat, quàm vt mendaciis ſuis omnia inuoluat, homines veri ſpecie deludat, innocentes affligat, iniquitatem foueat, à vero Dei cultu ad ſuperſtitiones abducat? In hac autem per aquam frigidam purgatione hoc potiſſimum quærit, vt iudices ac ſpectatores ſuis præſtigiis dementet, reas aliquando liberet, innocentes contrà ſupplicio ac vitæ diſcrimini ſubiiciat. Exempla quæ cum tua experientia pugnant, capite quarto recitaui, quò te remitto.

Atq; hanc meam ſententiam cum religione & pietate ne nunc quidem dubito, quin homines cordati, Deique & æquita-

tis amore accenſi, ſuis ſuffragiis ſint approbaturi.

EPILOGVS.

QVòd de Cadmeis fratribus, qui mutuis ſeſe vulneribus confecerunt, fabulantur Poëtæ: de Scribonianis argumentis veriſſimè dici poteſt. Etſi enim ex eodem prodierunt fonte, ſicut illos eadem terra produxerat, ita tamen ſibi inuicem aduerſantur, vt perpetuò alterum euertat alterũ. Tanti laboris eſt vel vnicum mendacium palliare, nedum defendere.

Contrà quicquid argutiarum, fraudum, aut inſidiarum contra veritatem excogitatur, quicquid armorum (militariter enim cum Scribonio loquendum eſt) ſumitur, facilimum eſt auertere: Id quod ex hac mutua concertatione luce meridiana clariùs apparet.

Nihil non machinatur Scribonius, nunc has nunc illas latebras captat, plures Vertumno, plures Proteo formas induit, ſed irrito inanique conatu. Aperto Marte quoties congreditur, illico fugatur, ſternitur, opprimitur. Nolo id quiſquam ingenii mei acumini, quod ſanè nullum eſt, ſed veritati, quam tueor, ferat acceptum.

Etenim

Etenim veritas, quantumuis sola esse videatur & simplex, hostiliumq; insidiarum ignara; ingenuorum tamẽ militum secum trahit agmen, quibus & carere potest, prudens ipsa, & in fraudibus detegendis egregiè exercitata, fortissima insuper, imperterrita, inuicta, & tanto robore prædita, vt vel solo spiritu vniuersas hostium copias, vt de Pyrgopolinice apud Plautum parasitus loquitur, difflare valeat.

Quam rem igitur agis, Scriboni? Cur operam? cur existimationem? cur alios, cur teipsum is perditum? Quot noti patroni veritatis (mitto iam me ignotum) te ex professo impetunt? Inter quos Evvichius, Neuvvaldus, Goclenius, Binsfeldius, Godelmannus, viri & doctrina & rerum vsu præstantissimi. Infiniti alii, quibus tu ignotus es, superstitiosam sagarum purgationem à te defensam oppugnant: Theologi, Iurisconsulti, Medici, Philosophi. Hactenus in te folia ceciderunt, posthac, nisi desinas, ipsæ cadent arbores.

Quin igitur te veritati dedis? quid contra stimulum calcitras? quid reluctaris? Receptui cane: cane palinodiam, fac quod alios te multò maiores facere non puduit.

Melius est errorem corrigere, quàm in eo perseuerare. Ita rem Deo Opt. Max. facies gratam, Reip. vtilem, amicis acceptam, & tibi salutarem. Ni feceris, serò sapient Phryges, & tandem aliquando Iupiter diphtheram suam inspiciet. Intelligis, quid velim. Intelligenti sat dictum. Vale.

SEd heus, redi Scriboni, adest qui tibi salutem & mentis sanitatem optat Pistander. At, quid ille inquias, *cuius scriptum tale est, quod omnes boni & eruditi nulla responsione dignum censebunt.* Illéne mihi salutem? Imo: & gratulatur Reipubl. quod audit te iam aliquandiu magis sobriam agere vitã. Dicit enim se & multos secum sperare, vt magis sobria nobis deinceps procudas scripta, & vt quartatione forsan limatiorem nobis triumphum & physicen promas, atq; etiam de sagis veriùs doceas, quam in Epistola, Physiologia, Responsione ad Examen feciſti: quibus omnibus tuis operibus in tertiatione adhuc primum incuriæ lutum adhæsit: quanquam quarta luna nati infelices in Prouerbio dicantur. Sed audi, quale imprudens iudicium in teipsum tuleris. *Omnes boni & eruditi scri-*

Resp. a 3.

ſcriptum Piſtandri nulla reſponſione dignum cenſebunt. Tu cenſuiſti, vt docet pag. 51. & ſeqq. Propoſitionem ad verbum habes loco ſup. allegato. Aſſumtionem in fin. Reſponſ. ipſo facto confeciſti. Vide igitur quid neceſſariò etiam ex tuo Triumpho concludendum ſit: *te nec bonum eſſe, nec eruditum.* Sed de hoc tute videris. Piſtander, vt optimus, & præſtantiſſimus ſis, ex animo tibi precatur. Tantùm abeſt, vt inuidum ſe tibi vnà cum Ignoto præbuerit, ſicut quiritaris. At, inquis, *ex corporis mei temperamento, ſcriptorum meorum infirmitatem arguere nõ erubuit. Inuidum igitur me ſibi præbuit.* Excute, ſubtiliſſime triumphator, omiſſę propoſitionis veritatem. Quiſquis ex corporis temperamento (quod ſcriptor ſua culpa magis quàm natura habet) infirmitatem ſcriptorum arguit, is inuidus eſt. Oro te per iudicium tuum, dic an ſit hoc χ̣ τ̣ παντὸς: & & quia non eſt, ſcopas tuas diſſolutas agnoſce. Finis diſtinguit actiones. Verſatur quis cum improbis: Plerunque & ipſe improbus. At non ſemper. Quid enim ſi ideo verſetur, vt eos emendet? Ita Piſtander Scribonio depingit Scribonium. Inuidétne igitur ſtatim? Imò, quod per ipſam fidem Pag. 3.

tibi affirmat, amat te, Scriboni: talem te velit, qualem ipsum esse te putas, aut etiam optas. Si quid igitur peccauit in te, amore peccauit.

Pag. 51. & seqq. Pistandro, quæ voluisti, retuli. Miratus est acumen tuum. IN DISPVTANDO, inquis, *non persona, sed res spectanda est.* Fatetur: at se tecum disputasse nunc quidem, id pernegat: sed ad disputationem meam voluisse te reddere alacrem, ex tui ipsius intuitu, id affirmat: & proinde spectandam sibi Pag. 51. tuam fuisse personam asserit. *Voluisse eum,* ais, *nomen tuum inuisum reddere bonis hominibus, & scripta tua publica nominatim singula etiam nulla de causa malitiosè reprehendere.* Respondet, te phrenetico similimum, vim ab eo factam conqueri, qui medicinam fe- Pag. 52. cerit. *De libertate Philosophica* garris multùm. Verùm, ait Pistander, te vicinarum virtutum & vitiorum nomina confundere, quod in mala causa Rhetores solent.

Tua enim non libertas, sed licentia fuit. Ciues Romani olim liberi qui maximè. Si quis eorum triumphum non consulto populo egisset, is iam non amplius liber, sed licentiosus (liceat ita loqui) sed insanus fuisset iudicatus. De tuo verò Triumpho quis ad se-

ad ſenatum Logicum retulit? quando is decreuit? quando populus iuſſit? Quid? quod F. Beurhuſius & alii non infimi de plebe Logica illius triumphi ornamenta ita tibi detraxerunt, vt tu tum illa ſis aſſerturus iterum, quando reſponderis Brigtho: cuius reſponſionis expectatio valde diuturna hactenus typographo viſa eſt, cui tu eam iamdudum ex vendito debes. Rhetorices vſum bonum nemo ſanus improbet: abuſum nemo bonus probet. Quomodo tropis abutaris, Scribóni, ſatis hæc ipſa diſputatio docuit. Corporis quantitatem ſe tibi exprobrare negat: & ſtupidiſſimum te eſſe ait, ſi id non vides: inſulſiſſimum, ſi ſciens hoc ipſi crimen impingis. Sordes, ſqualorem, mucorem, &c. ex ἀσωπίᾳ prouenientia (quæ arbitrii ſunt, non naturæ) multi in te reprehendunt: ita tamen, vt te collaudaturi ſint, ſi ea emendes. Sal ſit in te; ſed non mordax ille: pacem alios tecum ſi colere vis, veritati bellum, audacule, ne inferas. De vita tua, inquis, quid nobis cognitum ſit. Imò tam multum, quantum ſi ſcires noſſes teipſum. Familiaritatem cum aliis nominas, rurſus per catachreſin Rhetoricam, pro perpotationibus, & quæ ipſe noſti. Nullam in me,

Pag. 54.

Pag. 55.

Pag. 55.

Ibid.

Ibid.

inquis, vitæ turpitudinem notare potuisti. Non volui certè: etsi potuissem. Malo te sapere cum pudore tuo; quàm me cum tuo dedecore desipere. Hæc, Scriboni, Pistander tibi rursus refert. Et iam tandem vale.

IVDICIA QVORVNDAM ROMANORVM PONTIficum I.C. aliorumq; doctorum virorum, de purgatione sagarum per aquam frigidam.

EX DECRETI PAR. II. C. II. q. 5. c. Mennam. 7. §. 3.

VVlgarem ac nulla Canonica sanctione fultam legem, feruentis scilicet, siue frigidæ aquæ, ignitiq; ferri contactum aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta inuidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imò Apostolica auctoritate prohibemus firmissimè.

EX CAP. CONSVLVISTI. 20. d. caus. 2. q. 5.

FErri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri, quoli-

quolibet ſacri non cenſent canones: & quod ſanctorum patrum documento ſancitum eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare. Occulta verò, & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Hi autem qui probantur, vel confitentur talis reatus ſe noxios; tua eos caſtiget moderatio, quia ſi ille, qui conceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida eſt; quantò magis qui vnius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe eſſe excuſare nequibit.

EX LIBRO V. DECRETAL. t. 34. de purg. canon. c. 8.

EX tuarum intelleximus continentia literarum, quod cum preſbyterum (quia infamabatur de homicidio) à ſacerdotali officio ſuſpendiſſes, prædeceſſoris tui literas tulit in medium, quibus apparuit eum iudicio aquæ frigidæ, ſuam innocentiam purgauiſſe, & epiſcopum ſuis eum literis abſoluiſſe. Quia verò peregrina iudicia

sunt inhibita, purgationem quam præstitit, sufficere non putantes: Mandamus, &c.

EX VENATOR. ANALYS. *Iur. Pontific. lib. 5. t. 35. per tot.*

ALtera species purgationis est vulgaris, quæ cùm ex superstitiosa hominum inuidorum inuentione profecta sit, canonibus non immeritò improbatur. c. Mennam. §. purgationem. 2. q. 4.

Quid est purgatio vulgaris?

Vulgaris purgatio dicitur, quam vulgus, contra sanctorum patrum traditiones & sancita, superstitiosè & ex inuidia induxit. c. consuluisti. 2. q. 4.

Quæ causa efficiens?

Ipse Satan, superstitio, & inuidia vulgi. dict. cap. Mennam. §. purgationem. in verb. fabricante inuidia. 2. q. 4. & d. c. consuluisti. in verb. superstitiosa adinuentione.

Quæ materia?

Crimen non manifestum, sed occultum, cuius cognitio & punitio soli Deo, qui omnium corda nouit, relinquenda est, d. c.

d.c.consuluisti.§. occulta.2.q.4.c.1. & c.2. ext. eod.

Quæ forma?

Est aquæ frigidæ,candentis ferri, vel singularis certaminis, vel alterius rei ex superstitiosa inuentione vulgi institutæ iudicium ad probandam suspecti innocentiam, vel extorquendam criminis occulti confessionem adhibitum.c.consuluisti.c.Mennam.2.q.4.c.1.c.2.&c. ext.eod.

Quis finis & effectus?

Vt postquam subiit suspectus iudicium ferri candentis,vel aquæ frigidæ, alteriusq; rei, si non sequatur læsio, quasi demonstrata innocentia impune euadat ; sin minus, pœnis ciuilibus subdatur.d.c.fin.ext.eod.

Quæ causa prohibitionis?

Hæc purgatio vulgaris prohibetur.1.Quia sanctorum patrum sancitis aduersatur.cap. consuluisti 2.q.4.2. Quia superstitiosa,inuidiosa & nociua est.cap.significantibus.extr. eod.& c.satis peruersum.65.dict. Denique, quia hoc genere superstitionis Deus tentari videtur. c. monomachiam. 2. q. 4. quod omnibus mouendum est, c. si nulla urget. 23.q.8.& c.quæritur.22.q.2.

EX DAMHVDER. RER. CRIM. enchir. cap. 43.

PORro Gandenſibus ciuibus à comite Flandriæ indultum priuilegio fuit ſeſe purgare aqua frigida, quod ſanè interpretàndum eſt de aqua frigida, & adhibitis conſuetis funibus. Verùm cùm & eiuſmodi purgationes nihil habeant humanitatis, ſed tyrannico animo, diabolicoque inſtinctu inuentæ, & excogitatæ, ad diuinæ potentiæ tentamenta rectè vergant, ideò non temerè Canonico Iure prohibitæ ſunt, & abolitæ, ne iis amplius vteremur. loc. ſup. allegat.

EX HENRICI DE SEGVSIO CARdinalis Hoſtienſis Summa aurea.

De purgatione vulgari. Rubrica

SVMMARIA.

Purgatio vulgaris quæ ſit. Et quare ſit prohibita.

QVid ſit vulgaris purgatio. Quædam quam ſibi vulgus inuenit, vel ſequitur, Canonicè reprobata probatio: ut ſuprà, ne cleri. vel mo. ſententiam. vt apparet ex ſe-

ex ſequèn. ſicut eſt duellum, purgatio aquæ frigidæ, ferri candentis, caſei benedicti, & ſimilia: vt infrà eodem, per totum. 2. q. 5. monomachiam. Mennam. conſuluiſti. & quæ dicuntur iudicia peregrina: vt ſuprà tit. 1. ex tuarum.

Quare ſit prohibita? Multiplex eſt ratio: quia inuenta fuit diabolo fabricante. 2. q. 5. Mennam. & c. conſuluiſti. Secundò, quia Deus per eam tentari videtur: inf. c. ea. fin. Sed quamdiu habet homo aliud quòd faciat, Dominum tentare non debet: 22. q. 2. quæritur, cur patriarcha. 23. q. fin. ſi nulla. Tertiò, quia per eam is, qui in nulla culpa eſt, ſæpe punitur: vt infrà eod. ſignificantibus. quod eſt ſatis peruerſum. 65. diſtinct. ſatis peruerſum. ſuprà de Conſtit. cap. 2.

EX FRANCISCI HOTOMANNI de iure feudali diſputatione. c. 44. de probatione per explorationem.

HVius autem furioſæ probationis ſex genera fuiſſe animaduerto: per flammam, per crucem, per ferrum candens, per aquam vel gelidam, vel feruentem, per ſortes, & per corpus Domini.

Item:

Hanc autem aquæ frigidæ examinationem Imperator Lotharius ſuſtulit in Lombard. libr. 2. tit. 54. vt examen aquæ frigidæ quod hactenus faciebant, omiſſis omnibus modis interdicatur: vt non vlterius fiat.

EX CVIACII LIB. I. DE feudis.

TErtium genus purgationis eſt, periculum aquæ feruentis, vel aquæ frigidæ, vel laminæ candentis, quo etiam diu vſi ſunt Chriſtiani, ducto more argumento (neſcio an bono) à potione illa, quam ſtupri inſimulatis mulieribus dari iuſſit Moſes.

EX PANORMITANO.

PVrgatio, inquit, vulgaris eſt oſtenſio innocentiæ, vulgò introducta, prohibitaque, quod hac tentetur Deus, multotiensq; per eam condemnetur abſoluendus.

EX PETRI BINSFELDII TRActatu de confeſſionibus maleficorum & ſagarum.

Quid ſentiendum de purgatione vel probatione aquæ frigidæ?

PRo declaratione in primis cognoſcendum eſt, apud quoſdam iudices eſſe moris,

moris,vt ſi quam maleficam præſumptam habeant, quæ veritatem etiam in tormentis fateri nolit,adhibent probationem aquæ frigidę in hunc,vt intelligo,modum. Malefica præſumpta adducitur ad flumen, vel lacum:ligatur manibus pedibuſq;, ligata proiicitur in aquam frigidam: ſi natat, habetur vehementius ſuſpecta maleficii, & iterum virtute huius iudicii repetuntur tormenta: Si vero ſubmergitur, vt innocens abſoluitur.dubium nunc poſtulat:An hæc probatio licita ſit, & conueniens indicium culpæ vel innocentiæ?

Purgatio aquæ frigidæ in VVeſtphalia frequens.

Hanc probationem aquæ frigidæ ferunt in frequenti eſſe vſu apud Weſtphalos. in noſtris partibus hoc tempore quidam Iudices, vt fama eſt,hac probandi forma vtuntur. Eam longè defendit quidam Gulielmus Adolphus Scribonius Marpurgenſis. *lib.2.de ſagarum natura & poteſtate, qui liber prodijt in proximus nundinis Franfordien. Menſe Septemb. Anno Domini,1588.* Hic author contra Iohan.Evvichium & Herman. Neuvvald,Medicos,defendit,& ab antiquitate confirmat purgationem aquæ frigidæ: quia eius meminit Cuiacius, Iuriſconſultus,aſſerens ea Chriſtianos olim homines

vſos fuiſſe; & adhuc in conſuetudine apud multos eſt. Cauſas vero naturales cum reddere nequeat, vtpote qui manifeſtis aduerſariorum conuincitur argumentis, alias confingit; in diabolo quandam leuitatem, qua detinentur huiuſmodi corpora, ne ſubmergantur: in aqua vero quandam antipathiam, & vt hoc figmentum intelligatur, ponenda breuibus, quę ipſe multis profert. Aqua ſagas in ſe ferre non poteſt; quia Deus aquam prædeſtinauit ſalutari regenerationis lauacro, vt in ea homines abluantur à peccato, & regnum Dei ingrediantur; quare odio maleficas auerſatur, & reiicit, vt ſi maximè pro viribus tentent, non tamen ſubmergi poſſint; cum ſpreto diuino lauacro, toti Trinitati abrenunciauerint. Fatetur tamen, & benè, dictus author hanc ſuam inuentionem non eſſe edicta prætoria. Ioannes Bodinus *lib. 4. cap. 4. de Magorum Dæmonomania*, damnat hoc iudicium aquæ frigidæ, tanquam opus quoque magicum.

Nunc pro reſolutione dico; Primò: Iudex, vel alius poteſtate & authoritate fungens, qui facit aliquem vel aliquam ſubire probationem aquę frigidæ, mortaliter peccat,

cat. Probatnr *2. quæst. 5. cap. Mennam.* ex regiſtro S. Gregorii, in epiſtola ad Brunichildam reginam Franciæ, vbi reprobatur probatio vulgaris aquæ frigidæ; quia diabolo fabricante introducta ſit.

Deinde ſimilium ſimilis eſt ratio: & ſi in lege proprius caſus non exprimeretur, ad ſimilem expreſſum, vbi eſt identitas rationis, confugiendum eſt. Sed probationis aquæ frigidæ eadem eſt ratio, quæ candentis ferri vel aquæ feruentis. Tales autem probationes peruerſæ ſunt & ſuperſtitioſæ, *iuxta cap. fin. de purgatione vulgari, & 2. q. 5. c. Mennam. & cap. conſuluiſti. S. Thomam 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. S. Anthonin. 4. part. tit. 15. c. 34. §. 2. Ioan. à Turrecremata in d. cap. conſuluiſti. Panormit. & Petrum de Ancharano in c. fin. de purgat. vulgari. qui author & ibidem meminit probationis aquæ frigidæ. Martin. Nauar. in manuali Confeſſariorum c. 11. num. 39.* Vt rei fundamentum perſpiciatur, in quibuſdam regionibus & prouinciis antiquitus fuit vſus vulgaris probationis; vt in Francia, *ſicut patet ex cap. Mennam.* tempore S. Gregorii, & in Liuonia, *ex cap. final. de purg. vulgari*, ætate Honorii tertii. Quare non eſt mirum, ſi Cuiacius Iuriſconſultus

aquæ frigidæ meminerit: non tamen, vt rectè Doctores impugnantes dicunt, eius vsum licitum asseruit. Sunt autem Honorii tertii verba *in d. c. final. Dilecti filij nouiter in Liuania baptizati, grauem ad nos querimoniam destinarunt, quod fratres templariorum, & alij, qui temporalem in eis potestatem exercent, si quando de aliquo alio crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt, quibus si qua exinde sequitur aduſtio, ciuilem pœnam infligunt. Cum igitur huiusmodi iudicium sit penitus interdictum, vtpote in quo Deus tentari videtur, Mandamus quatenus dictos fratres, & alios ab huiusmodi conuersorum grauamine omnino desistant, per censuras Ecclesiasticas appellatione remota repellas*: hæc ibi. Purgatio autem ferri candentis, & aquæ calidę vel frigidæ, dicitur vulgaris: quia nulla canonum aut legum authoritate fundata est, sed à vulgo inuenta, & diabolo fabricante introducta, *ex d. cap. Mennam. & cap. consuluisti.* & est superstitiosa: quia intendat probare innocentiam vel culpam hominis per experimentum non secundùm naturam, neque secundùm Catholicam scripturam, sed per modum superstitiosum. Adhæc qui tali vulgari probationę vtuntur,

tur, tentant Deum, dum quærunt ab eo miraculum ſine cauſa. Ferrum candens cùm naturalis ſit actionis, ita lædit innocentem, ſicut peccantem; & in aqua frigida ita mali ſubmerguntur, ſicut boni. Ad miracula autem, quæ ſuo arbitrio Deus reſeruauit, vt Anchoranus ait, nõ ferro candente, vel aqua frigida, ſed iuſtis orationibus commouetur Deus. Hinc in eiuſmodi probatione duplex committitur peccatum: tentationis nimirum Dei, & ſuperſtitionis: quia pactum implicitum intercedit cum dæmone. Ad quod facit autoritas D. Thomæ loco citato, dum ait: *Dicendum, quod iudicium ferri candentis vel aquæ feruentis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquiſitionem, per aliquid quod ab homine fit, & in hoc conuenit cum ſortibus: In quantum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus à Deo, excedit communem ſortium rationem. Vnde huiuſmodi iudicium illicitum redditur; tum quia ordinatur ad iudicanda occulta; quæ diuino iudicio reſeruantur: tum quia huiuſmodi iudicium non eſt diuina authoritate ſanctum. Vnde 2. quæſtionib. 5. cap. Conſuluiſti, in decreto Stephani Papæ dicitur. Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confeſſio-*

nem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones; & quod ſanctorum patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. hæc S. Thom. ex canone. De antiquitate purgationis ferri candentis legendus eſt Didacus Couarruuias *lib. 4. variarum reſolut. cap. 23.*

Secundò: Non ſolum peccant mortaliter cogentes ſubire probationem aquæ frigidæ, ſed etiam omnes, qui credunt ineſſe effectum ad probandum innocentiam vel culpam, niſi eos ignorantia probabilis excuſet, quia eſt opus ſuperſtitioſum, à diabolo introductum, ex pacto cum eo implicitè habito procedens: ergo mortaliter peccat, qui fidem adhibet tali rei. Nam ſimiles ſunt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ex qua cauſa, qui admonentur talis erroris, & non deponunt, nec acquieſcunt veritati, tam diu ſunt in peccato mortali, quam diu non deſiſtunt à tali ſuperſtitione. Quia poſt admonitionem & inſtructionem non eſt amplius locus probabili ignorantiæ. Quare rectè Bodinus, & alii contra Scribonium, damnant probationem aquæ frigidæ, tanquam opus diabolicum.

Tertiò: Si quis, vel quæ ponatur ad probatio-

bationem aquæ frigidæ, & virtute talis indicii præsumpti confessio extorqueatur in tormentis; confessio nullius roboris & momenti; & consequenter reus, vel rea non potest ex ea condemnari. Probatur. Confessio, quam nullum indicium legitimum præcedit, etiam si in tormentis facta sit, & reus in ea perseueret, est nulla ipso iure, nec potest confessus ex ea condemnari. *ex textu, Glossa, Bartolo, & alijs in l. penult. ff. de quæstionib. Alexand. in l. Qui aliena. §. Celsus, numero 12. De acquirenda hered. Iaſ. ibid. n. 38. Angel. ab Aretio in tractat. de malefic. in verbo. Fama public. versſ. Quintò quæro. Marsil. in dict. leg. penult. & in practica. §. secunda quæstio. num. 2. Emanuele Soarez in thesauro receptarum sententiarum, verb. Confessio. Francisc. Bruno, de indicijs & tort. 2. part. q. 5. Francisco Viuio lib. 2. communim opinionum, opin. 70. Iul. Claro. lib. 5. §. fin. quæst. 55.* & hæc est communior opinio. Sed hæc talis confessio elicitur virtute nullius legitimi indicii, cùm talis probatio iuri & rationi repuguet, vt constat ex dictis. Si ergo indicium nullum est: & confessionem inde sequentem esse nullam necessum est. Si confessio nulla est: ergo & sententia nulla, quæ inde

virtutem ſumit. Ex prædictis conſtat, abuſum illum probandi apud antiquos fuiſſe reprobatū, tanquam ſuperſtitioſum, nunc verò noſtris temporibus denuo maligno procurante reuocatum. Sicut enim hoc noſtro infœlici ſæculo, antiquæ hæreſes olim damnatæ prodeunt; ſic etiam veteres ſuperſtitiones conſopitæ renouantur. Cauſam vero, quare non ſubmergantur ſagæ, ſi ita ſit, vt refertur, non referimus ad leuitatem, cùm nulla dæmoni inſit (gratuitas enim & leuitas ſunt qualitates corporum, ex elementis compoſitorum) ſed in potentiam dæmonum. Qui enim poteſt celerrimè per aëra corpora ad remotiſſima loca deferre ſua virtute, valet etiam ſuſtentare, ne ſubmergantur. Nam ſi vir mediocris potentiæ puerum poteſt tenere, ne profundum petat; quanto magis dæmon hominem deferre valebit? Hoc autem facit non vt nocentiam ſagæ declaret, cui omnem ſuam in protegendo operam addixit, ad ſaluandum innocentiam in conſpectu hominum (Mallet enim talem, ſi in culpa ſit, innocentem, quam culpabilem oſtendere, atque ſic potius permittet in profundum deſcendere, quod naturale eſt corpori graui, quam

ui,quam natare contra naturam) Sed vt in tali opere, dum fortaſſe vnam animam perdit, quæ ad Deum per pœnitentiam reuertitur, plures per infidelitatem & ſuperſtitionem ſibi ſubiiciat. Etenim & cooperantes & fidem adhibentes in laqueum diaboli cadunt. Sortitur autem hoc opus, ſicut aliæ ſuperſtitiones, de quibus in vltimo præludio actum eſt, effectum ex pacto implicito cum dæmone. Dum enim homines ſcire volunt occulta per modum nec à natura, nec iure permiſſum, aut ordinatum; diabolus accurrit, & manus adiutrices porrigit. Atq; eam ob cauſam canones & Doctores vulgarem probationem, tanquam rem ſuperſtitioſam, & diabolo ſuggerente inuentam, reprobant, dum tales effectus neque ſecundum ſcripturam, neq; ſecundum canones, vel Eccleſiæ conſuetudinem, aut rei naturam cum cauſis coniungantur, quam Regulam, vt ſupra ſignificatum eſt, Auguſtin. lib. 2. cap. 20. de doctrina Chriſtiana, indicat, pro dignoſcendis ſuperſtitionibus. Qua regula etiam reiicitur ficta illa antipathia. Nam aquæ talem tribuere effectum, indiget alia confirmatione, aut ratione, aut authoritate proban-

dum est. Quis enim aquam in baptismo diceret talem tantamque vim habere, nisi expresso Christi testimonio probatum existeret? Neque aquæ soli virtus salubriter abluendi tribuitur, sed accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, vt dicit S. Augustinus tractatu 80. in Ioannem. Præterea, *vt ex d. cap. Mennam, & alijs colligitur*, hac probatione antiqui abusi sunt etiam in probandiis aliis sceleribus: quomodo ergo nunc solum obtinet in sagarum crimine? Scribit quoq; malleus maleficarum in vltima parte, familiare esse Magis, vt pro probanda innocentia appellent ad purgationem ferri candentis: sed non eis esse morem gerendum. Hæc de improbatione aquæ frigidæ.

EX BODINI LIBRO IV.

Dæmonomaniæ, cap. 4.

SApiens verò Iudex ad consequendum veritatẽ omneis præsumptiones comportatur, est: modò ne id faciat quod multi Iudices in Germania solent. Hi enim aut magos alios conquirunt, vt per eos ad saltum cribri rescisçant an reus sortes exerceat: aut puerulis templum adeuntibus noubs cal-

uos calceos axungia ſuilla perunctos curant indui, vt Magæ inde nequeant egredi, niſi eis viſum fuerit qui pingues calceos ferunt: aut ambos pedes ſagæ & manus colligantes eam imponunt aquæ leniter, eamq; ſi ſaga fuerit, in fundo mergi non poſſe putant. Hac enim via diabolus indicia, quæ ſancta oportet ſeruari, commutat in ſcholam Magiæ.

EX VIERI LIB. VI. DE PRÆſtig. Dæmon. cap. 9.

AT eheu tanquam ad ſacram anchoram in Lamiis citra hæſitationem cognoſcendis, & velut digito commonſtrandis, ad aquas confugitur, vbi manibus pedibuſque colligatis, vel pollice manus dextræ, magno digito ſiniſtri pedis, & viciſſim pollice ſiniſtræ, digito magno dextri pedis tranſuersè vinculo aſtrictis, Lamias maleficii reas, aquæ iniectas nunquam ſubmergi, at ſupernatare, velut certum experimentum, nec fallax indicium eſſe, apud magiſtratum & carnifices in pleriſque ditionibus obſeruatur. Næ illud nimis eſt ridiculum, mirumq;, huic inſulſæ perſuaſioni vllum hominem, vel leuiter rationis ſenſu

præditum, fidei tantillum apponere. Quandoquidem maleficium si quod est, cum primis è mente emergit, dum cum diabolo confœderatas Lamias, Deo renunciasse, creditur. Quid hîc causæ comminisceris, quo minus in aquis subsidere, quàm aliæ, debeant? Natationis siquidem causas, vti leuitatem, raritatem, spiritus sustinentis conclusionem, corporis viui habilitatem, idque genus reliquas naturales occasiones, nõ magis inesse his corporibus, etiam sontibus, vt quidem fateor: ita asserere audeo, si quid eiusmodi præter naturæ ordinem videatur, id fieri suffulciente fœminas, de quibus etiam falsa est suspicio, diabolo, ne submergantur (conniuente Deo ob incredulitatem magistratus, fallax hoc experimentum admittentis) quò in sententiam iniquam iudicem tandē inducat hac fraude impostor ille, ab initio sanguinarius. Corpus nullo pacto immutat, vt rarius leuiúsve & natationi conuenientius reddatur, fidei abnegatio, voluntas mala, vel corrupta phantasia, &c.

Natationis causæ.

D. Iohannes Evvichius Medicus Bremensis, edito libro Scribonii epistolam refutauit.

Idem

Idem fecit D. Hermannus Neuvvaldus Medicus Helmſtatenſis.

M. Rodolphus Goclenius orationem contra Scribonii epiſtolam publicè habuit Marpurgi, anno 1584. in renunciatione viginti-nouem Magiſtrorum.

Liber D. Iohannis Georgii Godelmanni, IC^ti Roſtochienſis, adhuc ſub prelo erat, cùm hæc ſcriberentur. Is lib. 3. ni fallor, explorationem per aquam frigidam genus probandi furioſum vocat, & multis argumentis refutat.

MVTANDA.

P. 10. v. 10. l. *reſp. p. 7.* p. 12. v. 20. l. *Aſſumtionis.* p. 23. v. 24. l. *ipſarum.* p. 29. v. 3. l. *quæ cùm poſt.* p. 35. v. 21. l. *impalpabilem.* p. 41. v. 27. dele *epiſt. p. 30.* p. 46. v. 23. l. *delabentes.* p. 50. v. 19. l. *manifeſtet.* p. 58. v. 10. l. *Rhabarbaro.* p. 64. v. 26. l. *indicia.* p. 80. v. 1. l. *futilitatem.* p. 81. v. 1. l. *nudis.* p. 84. v. 14. l. *odium aquæ.* p. 85. v. 26. l. pietate *nequaquam pugnantem* ne, *&c.* p. 93. v. 2. l. documento *non* ſancitum.

FINIS.

IOHANNES VENATOR DVYSBVRGENSIS D. GVILIELMO SCRIBONIO.

COncutit incudem robusto sæpius ictu
Malleus, illa autem dura perinde manet.
Sic quoq; tu docto calamo quassare subinde
Scriboni, at nondum doctior inde redis.
Ac velut in Libycis Antæo casus arenis
Suffecit vires, & renouauit opem:
Sic tibi, Scriboni, spondes noua robora, quando
A doctis capiens vulnera repis humi.
Si tamen vlla tibi est (aliquã speramus) in imis
Visceribus pietas, candor, & vlla fides,
Errorem reuoca, quem tanta pericla sequuntur,
Fac serò sapias, sed tamen vt sapias.
Cernis, vt innocuus, fusus te iudice, sanguis
Vindice vindicias postulet vsq; Deo.